

177

Digitized by Google

7. C. 77 I

JUS CANONICUM

JUXTA NATIVAM EJUS FACIEM,

SIVE DE

RATIONE DISCENDI, ET DOCENDI


JUS CANONICUM.

AUCTORE

JOSEPHO PONSIO.



TOMUS I.



FULGINIAE 1794.


Ex Typographia Jo. Tomassini Impr. Episc.

Superiorum assensu.

Digitized by Google


7-8.177

Digitized by Google



NOBILISSIMAE HISPANIARUM

CERVARIENSIS
ACADEMIAE
JURIS CANONICI CULTORIBUS.



Cogitanti mihi de vobis saepenumero, Viri ornatissimi, & memoria repetenti, quanta esset Academiae vestrae ante annos amplius viginti, quot a meo illinc discessu flu-

Digitized by Google

xerunt, in omni genere disciplinarum institutionis praestantia; occurrebat fore, ut multorum in id conspirantibus ingeniis litterarum illic studia ad eam perfectionem perducta sint, cui vix quidquam addi possit. Atque ut omissis iis, quae de aliis scientiis non minus vere, quam praeclare dici poterant, de sola Jurisprudentia, quo nomine cum Civilis illa, tum Canonica comprehenditur, verba faciam; difficile fuerit non solum oratione, sed ne cogitatione quidem assequi, quae esset in illius cultoribus legum scientia, quanta antiquitatis notitia, qui discendi in Juvenibus ardor, quae Magistrorum auctoritas. Magnum erat illis temporibus, &. illustre praeter caeteros Josephi Fi-

Digitized by Google



nestresii nomen, qui ad eximiam Juris, aliarumque fere omnium scientiarum, & artium honestissimarum doctrinam, cuius multa etiam extant mandata litteris monumenta, incensum alios juvandi desiderium adjungebat. Quare fuit semper ejus domus stipata eorum studiis, qui viam a summis demonstratam viris in Jure sive percipiendo, sive tradendo tenere cupiebant; quos ille praeclara, & prompta ad omnes ipsorum nutus non solum voce, sed communicatis etiam libris suae, horum magis delectu, quam numero spectabilis Bibliothecae adjuvabat. Nec minor fuit in illo, ut edita ejus in lucem declarant opera, latini sermonis, & quantum illud fere-

Digitized by Google

bat rebus accomodatum, aequabile, & temperatum scribendi genus, oratorius cultus: quam etiam ad laudem multos praesertim ex Juris studiosis suo & exemplo, & cohortationibus excitavit. Quapropter si artem dicendi adeo tractandis causis in foro, judiciisque utilem, aliquo seposito sibi tempore, suos docere voluisset, existimo id gravissime, & splendidissime facere potuisse. Verum cum pars haec honestissimi officii Larrazio viro non minus a rerum altissimarum scientia, quam ab orationis, & modulatae vocis, actionisque praestantia commendatissimo demandata fuisset, ab eo ex laudabili vestrae Academiae instituto, qui Jurisprudentiae darent operam, Rhetoricae

artis, elegantiarumque omnium praecepta petebant. Verum, ut ad Finestresium revertar, possem quidem multos commemorare, qui ex ejus disciplina maximis meritis, & virtutibus cumulati prodierunt, quorum tamen duos hic tantummodo, & propter uberem, quem coepit suae institutionis fructum, & propter illud velut haereditariae, quo a teneris mecum devincti fuerunt, necessitudinis vinculum, nominabo Ignatium, & Raymundum fratres germanos e familia honestissima Dovia: quos ille, cum nondum excessissent ex ephebis, ob veterem cum eorum patre viro multiplicis eruditionis amicitiam domi peculiari studio erudiendos exceperat. Horum alterum natu maximum a

Digitized by Google

docendi munere domesticae curae, & publica, quae nunc etiam summa cum laude exercet, munia in patriam revocarunt. Alter Academiae suis praestantissimis ingenii, & doctrinae dotibus illustrandae, & quae a Finestresio bene coepta, & ad maturitatem quamdam adducta fuerant, perficiendis reservatus, cum peractis aliquot inferioribus Juris magisteriis gradum sibi ad altiora fecisset, in supremum, quem ille obtinebat, docendi locum successit. Quo sane ex loco luminibus a suo praeceptore familiari tot annorum consuetudine perceptis ea, quae singulari mentis suae perspicacitate, atque indefesso studio comparaverat, adjungens, monstrandae cunctis viae

Digitized by Google



ad veram scientiam, ad virtutem, ad laudem sublatam quodammodo tenet splendidissimam facem. Itaque submoto fati communis lege Finestresio, cujus hic etiam mortui laudes eleganti oratione prosequutus est, Juris studiorum dignitas, quae maxime per eum stare videbatur, non solum imminuta non est; sed hujus potius sui alumni, aliorumque ex eadem disciplina assiduis curis plurimum aucta. Quamquam autem haec, quae de studiis Jurisprudentiae magnifice, & gloriose dicta sunt, Civilem magis, in qua illi, quos commemoravi, summi viri potissimum versati sunt, quam Canonicam spectent; nihilominus si quis secum animo consideret, has duas facultates ex an-

Digitized by Google

tiquo illius, aliarumque Academiarum more ita haberi inter se conjunctas, ut una utriusque videatur esse ratio, & disciplina; facile intelliget, quod de una illarum dictum est, non potuisse diutius ita ejus manere proprium, ut alteri non communicaretur. Quandoquidem igitur praeclaris, quibus plurimum abundat Academia vestra, Canonicæ Jurisprudentiæ capessendae monitis, institutisque adeo communiti estis, ut externo monitore, atque institutore minime indigere videamini; hoc meum qualecumque litterarium opus, in quo pulcherrimam istius formam, ac veluti faciem, ejusdemque comparandae rationem exprimere conatus sum, ita accipite, ut quod

aliis quidem discendi, & docendi instrumentum futurum sit a me non inutiliter exhibitum; Vobis autem, vestraeque, quae me diu suo gremio continuit, & quibus potuit, honoribus auxit, florentissimae Academiae obsequentis, gratique animi posteritati erectum monumentum.



De mandato Illmi. & Rmi Dom. Philippi
Trenta Episcopi.
V I D I T.
Petrus Nicoli Sem. Fulg. Rector, & Rev. Syn.




IMPRIMATUR SI VIDEBITUR.

Justinianus Poggius Archipresbyter Eccl.
Cathed. & Pro-Vicarius Gen.



IMPRIMATUR.
Fr. Ludovicus Civini Ordinis Praedicator.
S. T. M. Vicarius S. Officii Fulg.



PARS I.

De genuina Juris Canonici notione, ejusdemque addiscendi externis adjumentis.



CAPUT I.

Idea Juris Canonici.



Quo justam nobis Juris Canonici in se ipso, & tamquam Scientiæ Canonicæ materia spectati ideam efformemus; nonnulla, quæ secundum anxiam quamdam loquendi proprietatem distincta inveniuntur, solent nihilominus pro-

Digitized by Google

miscuo vocabulorum usu confundi, aut pro una eademque re accipi, caute distinguenda sunt: *Jus scilicet Ecclesiasticum*, *Jus Canonicum*, *Corpus Juris Canonici*, *&* *Jus Canonicum commune*, seu *commune* tantum, suppressa vocula *Canonicum*, quæ licet non exprimatur, semper debet intelligi.

Juris Ecclesiastici nomine omnium legum, cujuscumque fuerint rationis, complexio denotatur, quæ ab ecclesiastica auctoritate ad divini cultus decorem, morum sanctitatem, cœterorumque, quibus christianæ societatis salus, & tranquillitas nititur, ordinem atque constantiam, diversis temporibus processerunt. Juris autem Canonici nomine complexio illarum legum peculiariter denotatur, quæ in Conciliis præsertim generalibus fuerunt editæ, aliarumque vitæ sanctioris, morumque disciplinam spectantium, quæ ex communi loquendi usu Canones appellantur; unde Jus, quod ex illis coalescit, Canonicum a Canone propriissime appellatur. Tandem Corporis Juris Canonici nomine complexio illarum legum, seu Canonum intelligitur, qui in aliquam relati ex quinque

vulgatis collectionibus, Decreto scilicet, ut dicitur, Gratiani, Decretalibus Gregorii IX., Sexto, Clementinis, & Extravagantibus, ut vocant, cum Joannis XXII., tum communibus conjunctim velut uno in corpore exhibentur.

Juris Communis nomen posset quidem haud incommode tribui omnibus generalibus Ecclesiae legibus, quocumque tandem tempore, & sub quacumque forma editae fuerint, quandoquidem cunctis, ad quas ecclesiastica sese extendit auctoritas, regionibus, & locis sunt communes. Tribuitur nihilominus singulari quadam proprietate imprimis hoc nomen illarum legum complexioni, quae in Corpore Juris continentur: quamvis enim communes sint quoad ipsarum vim, & potestatem omnes generales Ecclesiae leges; non tamen ita communis est illarum notitia, & usus, prout est earum, quae in praedicto Corpore comprehenduntur. Hae proponuntur quotidie, & explicantur a Professoribus in scholis, eaedem in foro, judiciisque a contendentibus citantur, & secundum illas sententia a judicibus pronuntia-

tur ; quodque majoris est momenti ad earum normam praesens in rebus praecipuis Ecclesiae disciplina componitur.

Magis autem proprie tribuitur nomen Juris Communis Gregorii IX. Decretalium volumini comparate ad Gratiani Decretum, ad Sextum, ad Clementinas, & Extravagantes. Et quidem quod ad Gratiani Decretum adtinet, quamvis in eo nobilissima portio, & ut ita dicam, flos Juris Canonici contineatur, nihilominus ratione plurium sententiarum, quae aut a Conciliis particularibus, aut ab operibus didascalicis Patrum, aliorumque privatorum Scriptorum, aut etiam ex adulterinis, aut dubiae fidei monumentis desumptae fuerunt; non potest huic secundum totam suam latitudinem aptari nomen Juris Communis: nisi forte ob secutam postea receptionem, ratione cujus vim legis, qua ob aliquam ex prædictis causis destitutae erant, quoad forum praecipue externum, non raro acquisiverunt; aut saltem ut regulae optimae, ac sincerae disciplinae ferme ubique admissae fuerunt.

Neque vero aliis collectionibus post

illam Gregorii IX. editis, Sexto scilicet, & Clementinis videtur posse nomen Juris Communis ea proprietate, qua Gregorianæ collectioni, cujus velut accessio, seu appendix haberi debent, convenire; cum neque ita authentica earum promulgatio, neque ita generalis fuerit receptio, prout de uniuscujusque praedictarum collectionum auctoritate agentes inferius dicemus. Potiori id ratione asserendum de Extravagantibus, quas nescitur ab ullo Pontifice, aut illius jussu fuisse collectas, aut promulgatas: quam ob causam non desunt, qui illas a Corpore Juris Canonici excludendas putent.

Hactenus de Jure Canonico in se ipso spectato; nunc illud tamquam subjectum, seu materiam scientiæ Canonicæ considerantes, quid nomine scientiae Canonicae intelligatur, strictim constituere debemus. Nam si quaecumque, nullis circumscripta limitibus sacrorum Canonum, aliarumque ecclesiasticarum legum notitia, quocumque tandem nomine donentur, hoc vocabulo intelligatur; minor certe hujus materiae amplitudo non erit universitate

Digitized by Google

omnium praedictorum Canonum, legumque sive intra, sive extra Corpus Juris Canonici, quas sub generali Juris ecclesiastici vocabulo comprehendi diximus. Sin autem hoc nomine ordinata quaedam Canonum, seu legum ecclesiasticarum notitia intelligatur, quae ratione methodi plurimum ad artificiosum illum modum accedat, quo & a Magistris tradi, & a Discipulis addisci in scholis aliæ scientiæ consueverunt; plane dicendum est, aut unicam, aut praecipuam scientiae Canonicae ita acceptae materiam, complexionem esse omnium, & solarum legum, seu Canonum, qui in supradicto Corpore Juris Canonici continentur.

Tria, ni me mea fallit opinio, rei illi, quae subjectum, seu materia alicujus scientiæ dici possit, attributa inesse debent. Primum quidem, ut ad summa quaedam genera, seu capita, unde mens ratiocinando ad singulares conclusiones, aut species deveniat, revocari valeat, atque sub isto aspectu proponatur; quandoquidem studium illud, cujus alius non esset scopus praeter rerum singularum seorsim

considerandarum indaginem, nunquam ad scientiam, quae hoc nomine digna esset, perduceret; neque angustos historicae speculationis limites praetergrederetur. Atque hoc quidem complexioni legum illarum, seu Canonum, qui in Corpore Juris Canonici continentur, peculiari quodam modo convenit; quippe notiones rerum generalium ibi traditæ inveniuntur, constituta principia, jactaque fundamenta ecclesiasticae Jurisprudentiae: unde nulla majoris momenti in rebus singularibus potest esse difficultas, quae ex illis lucem aliquam, & fulcimentum non accipiat. Quin leges aliae, maxime recentiores, quae extra praedictum Corpus reperiuntur, aliud plerumque non sunt, quam derivationes quaedam, seu applicationes illorum principiorum, & regularum ad eas, quae in dies emergunt, novarum rerum species; aut forte etiam simplex instauratio, seu redintegratio antiquiorum ecclesiasticarum legum, seu Canonum, quos praedictum Corpus vasto suo sinu complectitur.

Alterum attributum subjecti cujuscumque scientiae est, ut omnibus locis

idem sit, atque unius modi; nam si pro locorum, ac temporum varietate varium, ac sibi dissimile esset, quae certo loco, ac tempore foret scientia, aliis locis, ac temporibus esset error. Non idcirco contenderim, hujusmodi dotem in subjecto scientiae practicae, qualis proculdubio est Canonica, cujus propterea usus ex variabilibus facti adjunctis maxime pendet, ejusdem rationis esse debere, ac illa, quae propria est subjecti Matheseos, aliarumque scientiarum, quae in sola veritatis contemplatione consistunt; sed talis, ut raro ob discrimen locorum, ac temporum restrictio, aut exceptio in illa admittenda sit. Atque id etiam modo a me exposito peculiariter convenit legum, sententiarumque complexioni in corpore Juris Canonici existentium, quod illae vel tamquam leges stricte tales, vel tamquam disciplinae regulae omnibus fere locis receptae sint; neque facile a lege, aut consuetudine contraria aboleantur, aut immutentur. Contra vero leges aliae ecclesiasticae, quae extra Corpus Juris Canonici incertis velut sedibus vagantur, hoc munere nec quantum ad

locorum, nec quantum ad temporum universitatem gaudent; cum saepe vel ob defectum promulgationis, vel etiam receptionis diversis in locis suo careant effectu; innumeraeque aliunde sint varietates, & mutationes, quibus propter frequentes earundem legum emendationes, derogationesque a posterioribus legibus, aut contraria consuetudine inductas, sunt obnoxiae: ut quilibet, comparatis inter se diversis ecclesiasticis legibus, quae in grandioribus praesertim voluminibus ita dicti Bullarii repetiuntur, facile deprehendet.

Tertium & ultimum attributum subjecti cujuscumque scientiae, quod maxime provenit a dispositione, & ordine, quem ab arte recipit, consistit in ejusdem partium apta conjunctione, & consensu, ita ut ex omnibus illis simul sumptis unicum existat corpus sibi undique cohaerens, & perfectum. Et hoc itidem, modo quodam peculiari convenit complexioni illi legum, seu Canonum, quae in toties dicto Corpore Juris Canonici sub diversis titulis juxta diversa rerum genera dispositae, & ordinatae sunt; cum leges aliae in spissis

Conciliorum & Bullarii voluminibus nullo praeter illum temporum suae promulgationis ordine digestae, tanta confusione & perturbatione exhibentur, ut difficile sit eas ad certa loca, seu capita revocare, aut illarum omnino recordari.

Nemo autem haec ita accipienda putet, quasi nihil in ordine Decretalium, multoque magis in illo Decreti Gratiani prorsus inveniatur, quod emendari & perfici possit; sed ita, ut quamdiu alia concinniore ordine disposita non edatur collectio, eaque auctoritate publica, aut saltem communi usu non approbetur, huic, quae Corporis Juris Canonici nomine omnium manibus jamdiu teritur, quo rite, & ordinatim in studio Juris Canonici procedatur maxime insistendum.

Ex his omnibus facile deducitur, eum, qui nec leviter, neque subsultim, sed studiose, & contente leges omnes praedicti Corporis percurrerit, ita ut non solum distinctam dictorum, sententiarumque, quae in illo continentur, notitiam habeat; sed in intimum etiam illarum sensum penetraverit, ipsarumque inter se convenientiam,

nexumque funditus perceperit, recte dici posse, scientiam Canonicam virtute quadam, & potestate, seu intensive, ut ajunt, obtinere: tametsi ut illam secundum quamdam majorem extensionem possideat, necesse sit, eam coeterarum legum & constitutionum ecclesiasticarum, quae in Conciliorum & Bullarii, aut aliis quibuscumque voluminibus consignatae sunt, notitiam sibi comparare, ut possit illas, cum necessitas exiget, invenire, & secundum ipsas propositas rerum species definire.

CAPUT II.

De diversis aspectibus, sub quibus considerari potest Jus Canonicum.

Cum leges illae, seu Canones, qui in Corpore Juris Canonici continentur, quosque praecipuum scientiae Canonicae, qualis hodie habetur, subjectum esse diximus, non ejusdem sint rationis, sed propter diversos eorundem fines, modumque, quo ad illos collineant, diversi; Jus ipsum

illic expressum, quodque proprietate universum magis corpus, quam singula ejus membra, seu partes afficiente Canonicum dicitur, sub diversis aspectibus considerari potest; & prout illud sub hoc, aut illo aspectu ejus cultores sibi proponunt, diversis etiam nominibus donantur. Primus quidem aspectus, isque meo judicio plus habens elegantiae, ac dignitatis ille est, qui venerandos nobis exhibet Canones, quos Sanctissimi Pontifices, religiosissimique Episcopi ex variis, longeque inter se dissitis orbis partibus ad vitae morumque institutionem, ad esclesiasticum ordinem, ad divini cultus praestantiam tot succedentium sibi saeculorum cursu ediderunt; quique cum alibi, tum in illa praecipue collectione, quae a Gratiano suo auctore nomen habet, magno numero contenti, ut veteris testimonium, ita & recentis observantiae, quae ab illa quoad praecipua ejus capita non differt, formam sanctissimam praebent. Quicumque igitur vires ingenii sui eo maxime contendunt, ut in abditos praedictarum regularum sensus penetrare, suosque, aliorumque mores, & a-

Digitized by Google

ctiones ad illarum normam possint componere, jure optimo Canonistarum (verbo sit venia, si quando hoc, aliisque vocabulis minus latinis ad vitandam circuitionem utar) nomen sibi vindicant; quandoquidem leges illae, seu regulae Canones propriissime appellantur.

Alter elegans etiam, ac dignitatis plenus Juris Canonici aspectus, quique tamquam pars prioris inversa, ejusdemque complementum haberi potest, ille est, qui nobis digestas exhibet multiplices Constitutiones, rescriptaque in quatuor recentioribus collectionibus comprehensa, quorum duo sunt praecipua genera; primum illorum, quae in explicandis quibusdam dubiis, seu difficultatibus tam circa jus antiquius scriptum, quam naturale versantur, aut quibus ea, quae utroque horum jurium sancita erant, ad novas emergentes species applicantur; alterum illorum, quibus externae quaedam ecclesiasticae administrationis capita, quae introducta in rebus hujusmodi mutatio, aut facta quomodocumque accessio necessaria reddebat, constituuntur. His tertium & ultimum addi

potest illorum, quibus ordo judiciarius, modusque causas in foro tractandi, caeteraque omnia, quae ad sententiae aequitatem spectant, singulari ordine ac diligentia tractantur. Qui igitur in evolvendis scrutandisque Constitutionibus, & rescriptis primi maxime, ac secundi generis praecipuam suam operam ponunt, singulari quodam titulo vocari possunt Decretalistae, quod Decretales hujusmodi Constitutiones, & rescripta ex communi loquendi usu appellari solent.

Tertius denique aspectus, nec venustate, nec dignitate cum aliis comparandus, ille est, qui legibus omnibus & Constitutionibus praetermissis, quae formandis moribus, & disciplinae stabiliendae editae sunt, aliisque ad externum Ecclesiae regimen spectantibus, eas solum exhibet, quibus ordo praescribitur in judiciis ecclesiasticis observandus, aut ex quibus causarum, quae ad forum ecclesiasticum ratione materiae natura sua spiritualis, aut cum rebus spiritualibus connexae, pertinent, exitus, ac decisio pendet. Illi igitur, qui unico, aut praecipuo sibi propósito fine litem dextre instituendi & promovendi

Digitized by Google

praedictarum legum studio incumbunt, Forenses, Curiales, & Pragmatici appellari possunt; quod illorum peritia intra angustos fori & curiae cancellos cohibeatur, plusque habeat usus, quam scientiae.

Conveniunt nihilominus Decretalistae & Forenses in eo, quod tam illi, quam isti sibi tamquam propriam materiam suorum studiorum proponant Decretales contentas in collectione Gregoriana, aliisque posterioribus: differunt autem non parum inter se ratione ipsarum delectus; quod horum primi in illis Decretalibus potissimum immorentur, quibus difficultates, quae ad juris, morumque doctrinam pertinent, enodantur, aut quibus disciplina prius constituta firmatur, ac roboratur, aut nova etiam, singularibus id exigentibus causis, constituitur: posteriores vero omnem suam curam, & diligentiam in illis Decretalibus ponunt, ex quibus opportuna ad reportandam in forensi certamine victoriam subsidia sibi comparare possint. Illi Decretalium, quibus maxime student, legitimum sensum, perpensis diligenter omnibus illarum verbis, atque apicibus, ante-

cedentibus, adjunctisque attente rimantur, atque investigant. Hi saepe contenti sunt, si textuum illorum, quorum crebrior in foro est usus, duo prima verba, & quem ad finem citari soleant, norint; tametsi neque illorum sententiam, neque integram verborum seriem teneant, ac ne forte quidem perceperint. Illi ad pleniorem & perfectiorem textuum intellectum litterariis utuntur illorum auctorum laboribus, qui eos penitius, majorique ingenii acumine, & doctrina explicaverunt. Hi frequenter in Scriptoribus, quos maxime familiares habent, non tam eorum, quae obscuriora videntur, explicationem, quam momentum auctoritatis quærunt; non tam doctrinae profunditatem, quam nominis splendorem. Neque vero illos plurimum, ut erudiantur tranquille, atque ex ordine, sed tumultuarie, atque hac, illac vagando non tam legunt, quam percurrunt; vel etiam excussis indicibus, ac repertoriis suffragia emendicant scriptorum, quorum maxima est in foro auctoritas, parum aut nihil de rationibus, seu fundamentis, quibus illa nituntur, solliciti, eum tantum in finem,

ut congestis aliis super aliis citationibus, numero potius quam pondere vincant.

Nemo autem putet, quae a me de Forensibus dicta sunt sic accipienda, quasi omnes omnino, qui causas in foro agunt, huic reprehensioni sint obnoxii; cum multi inter istos reperiantur, qui eximiae arma forensia tractandi dexteritati commendabilis Decretalium, aliorumque Canonum intelligentiae laudem adjungant, tres in unum committentes titulos Canonistarum, Decretalistarum, & Forensium: quandoquidem etiam iste, cum duobus aliis suffultus fuerit, & propter sui ipsius usum, & propter singulare robur & splendorem, quem ab aliis mutuatur, non minimo in pretio habendus est. Unde quod a me in dejectionem Forensium comparate ad Canonistas, & Decretalistas dictum fuit, de illis debet intelligi, qui meri sunt Forenses & Pragmatici, qui nempe minimo, aut nullo praemisso sanctissimorum Canonum, ac Decretalium disciplinam spectantium studio, vix primis inopum, ac jejunarum institutionum rudimentis imbuti, incertis magis, quae ipsis quotidia-

Digitized by Google

nus usus subministrat, luminibus ducuntur, quam placido illo & constanti splendore, qui a gravi & sedata meditatione originem trahit.

Nunc horum trium, sub quibus Jus Canonicum considerari potest, aspectuum inita comparatione, videtur quidem mihi studium illarum regularum, quae ad disciplinae sanctioris, morumque integritatem spectant, omnium praestantissimum; & ad efformandam sibi genuinam quamdam ecclesiasticae societatis ideam, ac praecipuarum virtutum, quae unicuique illam componentium conveniunt, utilisimum; ac propterea ecclesiasticis quibuscumque personis, sive in sublimi dignitate constitutis, aliorumque curam agentibus, sive hujusmodi honoris, atque oneris expertibus privatam vitam ducentibus & propter praeclaram rerum suo statui maxime congruentium notitiam, & propter usum vitae, actionisque quotidianae valde consentaneum. Studium autem Decretalium modo a nobis supra indicato exercitum omnibus, qui ecclesiastico ordini adscripti sunt, valde utile, quibusdam etiam ad certas spe-

cies juxta earundem scita definiendas ita necessarium, ut sine illo recte suo munere fungi non possint: sive quis hujusmodi rerum notitiam ex ipsis fontibus, sive ex probatorum auctorum libris, in quibus prout necessitas tractandae controversiae exigit, plures ex praedictis Decretalibus excerptae auctoritates in unum collectae, atque ordine digestae inveniuntur, sibi hauriendam putet. Tandem forensis Jurisprudentiae studium, si cum altero antiquorum Canonum, & Decretalium fuerit conjunctum, propter eas, quae possunt in communi vita rerum vicissitudines accidere, unde aut Ecclesiae suae jura defendere, aut etiam judicem in foro clericali Vir ecclesiasticus agere debeat, si adsit, non contemno, si non adsit, non admodum requiro; nudum vero, atque a gemino illo, quod diximus studio tam eorum, qui proprie dicuntur Canones, quam Decretalium, videtur in homine ecclesiastico, praesertim si ad pecuniaria lucra referatur, vituperandum potius, quam commendandum.

CAPUT III.

De triplici scientiae, seu prudentiae Canonicae officio.

Egimus hucusque de diversis aspectibus, sub quibus Jus Canonicum considerandum venit, necnon de diversis nominibus, quae ratione illorum iis, qui istud profitentur, convenire possunt: nunc de tribus hujusmodi prudentiae officiis, seu potius unius omnia complectentis officii partibus, quo magis hujus diciplinae pondus, & praestantia omnibus innotescat, agendum est. Dividitur ratione hujus triplicis officii scientia Canonica in historicam, hermeneuticam, seu interpretativam, & nomotheticam, seu legislativam, ex quibus omnibus unica efficitur facultas, seu scientia Canonica, quae totam ejus, quae hac voce significatur, suo sinu latitudinem complectitur.

Historicam illam appello scientiae Canonicae partem, quae sibi tamquam proprium scopum proponit accuratam ecclesiasticarum legum, seu Canonum, qui

diversis temporibus, diversisque ex caussis editi fuerunt, notitiam; quae quidem notitia cum circa illud genus factorum, quorum memoriam historia nobis conservat, praecipue versetur; proinde pars illa scientiae Canonicae, quae in ea comparanda occupatur, historica nominatur. Hermeneuticam illam appello, quae tamquam scopum sibi proponit legitimam Canonum interpretationem, sine qua nec qualis sit illorum vis, nec qualis in rebus agendis usus dignosci potest. Nomotheticam denique illam, quae sibi tamquam scopum proponit novarum legum ecclesiasticarum, seu Canonum confectionem diversis adjunctis, ac necessitatibus locorum, temporum, ac personarum, quibus illa feruntur, maxime accommodatarum.

Quantum ad Canonum notitiam adtinet, tantam in eo, quem fingimus, Juris Canonici perito inesse oportebit, ut nullus sit in illis quinque collectionibus, quibus constat sic communiter dictum Corpus Juris Canonici, alicujus momenti Canon, qui menti, cum res exigat, spon-

te non occurrat; reliquorum vero, qui tanti non sunt momenti, aut in aliis voluminibus confusi delitescunt, sic maneant in mente vestigia, ut facile, quibus quaerenda sint locis, recordari quis possit. Quod ad alia, quae facti sunt pariter, adtinet, non solum temporum, locorumque, nec non personarum, pro quibus singulae leges latae fuerunt, discrimina; sed causae etiam, quae praecesserunt, adjunctaque, seu comitantia plerumque & consequentia diligenter investiganda sunt; nihilque penitus ex factorum historia ignorandum, quod faciliorem Canonum intelligentiam, germanamque, ac legitimam interpretationem, de qua mox dicendum, reddere possit.

Cum in L. 17. D. de Legibus conceptis verbis dicatur: *Scire leges non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem*. Apparet, quanta sit rectae interpretationis, quae latentem harum vim, ac potestatem aperit, cum in aliis legibus quibuscumque, tum in ecclesiasticis, seu Canonibus necessitas. Quandoquidem autem duplex potest cujuslibet legis, seu Ca-

nonis esse sensus, grammaticalis alter, quem verba prae se ferunt, legalis alter, qui & sententia legis dici solet; de utroque quidem, sed maxime de hoc posteriore sagax interpres sollicitus esse debet. Utriusque plane sensus discrimen; posteriorisque prae illo priori praestantiam nobis exhibet lex 29. D. de Leg., ubi dicitur eum contra legem facere, *qui salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit*, & lege 30. ibidem: *Fraus legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit: & quod distat dictum a sententia, hoc distat fraus ab eo, quod contra legem fit*. Ubi voce illa *dictum* sensus grammaticalis, quem verborum superficies, seu cortex nobis exhibet, exprimi videtur; voce autem illa *sententiam* sensus legalis, qui intus latet, ac non raro ab illo priore valde est diversus.

Cum autem plurimi sint ex graeco idiomate in latinum Canones conversi, quorum sententia obscuris quandoque, & quae in opposita flecti possunt, verbis latine expressa dubium, atque ancipitem interpretis animum relinquit; utile admodum, & aliquando etiam necessarium fuerit eos ad fidem grae-

ci, quo primum editi fuerunt, idiomatis exigere, quod ab eo, qui in scientia Canonica cupit excellere, ignorari minime deberet. Quin & circa illos Canones, qui latino, ab origine, scripti fuerunt idiomate, singularis adhibenda est cautio in statuenda uniuscujusque vocis intima vi, & significatione non tantum ea, quae nunc sit in usu, sed quae erat tempore legis conditae apud eum, qui scripsit, & apud eos etiam, ad quos scriptura dirigebatur. Jam illud non tam monere, quam in memoriam revocasse juverit ad genuinam legis, seu Canonis interpretationem, totum prius esse legendum; nec legendum solum, sed singulas ejus partes excutiendas, atque invicem componendas: unde lege 24. D. de legibus incivile pronuntiatur: *nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare*.

Quod tandem ad officium novas cudendi leges, seu partem nomotheticam adtinet, quae una est, eaque nobilissima ex illis tribus, ex quibus scientiam Canonicam in tota sua latitudine acceptam constare diximus; fatendum imprimis, munus

condendi leges, seu Canones ad eos jure proprio unice spectare, penes quos publica sive civilis, sive ecclesiastica residet auctoritas. Nihilominus si attente, ut par est, perpendatur, eos, qui cum hujusmodi potestate, ne summis quidem imperantibus exceptis, aliis praesunt ad novas condendas leges, seu Canones, operam & consilium cum Civilis, tum Canonici Juris consultorum plerumque adhibere; negari non poterit, horum non minus propriam esse scientiam novas condendi leges, quam ab aliis conditas interpretandi. Equidem in Concilio Tridentino, sicut a Theologis materia Decretorum dogmaticorum, sic a Juris Canonici peritis, quos inter non pauci erant Episcopi, parabatur materia Decretorum disciplinam spectantium, quorum etiam confectio uni, aut pluribus illorum committebatur; ita ut quoad rem ipsam dici possint opus Juris Canonici peritorum, quantum autem ad sigillum auctoritatis, vimque obligandi solorum Episcoporum.

Quamvis autem ob summam Conciliorum generalium raritatem modica, aut nulla sit spes, cuiquam Juris etiam Canonici consul-

tissimo occasionem aliquam oblatam iri,suam condendi leges, seu Canones peritiam in generali Ecclesiae coetu exercendi; non tamen eam idcirco otiosam, aut inutilem futuram dicendum est. Quandoquidem si nullum sua aetate cogatur Concilium generale, fieri quidem poterit, ut saepe cogatur provinciale, aut dioecesanum, aut alio quovis modo ad praestandum huic difficillimo operi auxilium vocetur ab aliquo ecclesiastico Praeside, omnibus isto nomine comprehensis a summo Pontifice ad infimum Episcoporum. Quin fieri etiam poterit, quod ex Juris Canonici peritis, qui majoribus praesideant Ecclesiis non raro eligantur, ipsum ad aliquam istarum dignitatum promoveri: quo in eventu quantus futurus sit illius peritiae usus planius est, quam ut pluribus a me exponi debeat.

Quanta autem mentis vastitas, quantus prudentiae fundus, quis doctrinae apparatus in eo esse opportet, qui res tam multas, tam varias, tamque dissitas, quot legislatorem convenit dispicere, simul conjungere, atque unico velut mentis obtutu comprehendere, atque ad praesentem usum

traducere possit? Et quoniam hominibus, hisque plerumque imperfectis leges etiam ecclesiasticae ferendae sunt, cognoscenda imprimis harum conditori cum generatim natura hominis ex duobus maxime inter se distantibus mente scilicet, & corpore, ratione, & sensu coagmentati; tum illorum particulatim, quibus lex imponi debet indoles, mores, studia, & praejudicia: unde appareat, quibus illorum animi huc illuc flectendi, quo fraeno retinendi, quibus aculeis excitandi. Consideranda praeterea sunt rerum, locorum, temporum adjuncta; investigandae denique ac detegendae occultae causae, ac fibrae omnes malorum, quibus mederi novae legis, seu Canonis repertor sibi proposuit, ne si intacta radice ramos tantum inciderit, aut novae Constitutionis medicinam alibi, quam morbus exigit, applicuerit, multitudine inutilium legum homines potius, quam vitia opprimat. Hinc si praesentibus incommodis aliqua antiqua lege, seu Canone satis provisum fuerit, non erit ad aliorum editionem procedendum, sed antiquorum usus, & observatio instauranda. Quod si

nihil hujusmodi, quod urgentibus necessitatibus possit accomodari, in antiquis legibus, seu Canonibus reperiatur; novae constitutiones ita erunt temperandae, ut perpetua analogia cum Jure antiquiore in illis servetur, cui, licet specie tenus videantur diversae, quoad rem ipsam, finesque propositos maxime sint conformes. Debet praeterea legis sententia verbis adeo aptis, & perspicuis exprimi, ut nihil in illa sit obscurum, nihil superfluum, aut redundans, nihil etiam diminutum; quod quantae sit virtutis unusquisque facile poterit intelligere, qui observaverit, paucissimas esse leges, quae propter aliquam, aut plures etiam ex praedictis causis innumeris dubitationibus, & altercationibus occasionem non dederint. Hinc Cl. Berardi in sua jam alias a me citata praefatione, instituta inter officium interpretis, & legislatoris comparatione: *Si deceret*, inquit, *honestum virum divinis humana comparare, dicere possem, tantum fere distare videri sapientiam legislatoris a sapientia interpretis, quantum a sapientia hominis distat sapientia Dei*. Audacior qui-

dem, ut vel ipse agnovit, comparatio; sed quae videtur aliquod habere fundamentum in illis Proverb. 8. v. 11. verbis, quibus de se ipsa loquens divina Sapientia, quidquid est justarum legum tamquam proprium opus sibi vindicat, dum ait: *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Atque haec quidem sunt, quae in eo maxime requiruntur, qui in scientia Canonica quoad omnes ejus partes, atque officia futurus sit perfectus. Nunc quibus aliarum doctrinarum praesidiis instructus esse debeat, ut ad hujusmodi perfectionem possit pervenire, breviter dicendum.

CAPUT IV.

De necessitate, aut utilitate Juris Civilis ad scientiam Canonicam.

Tanta tribus abhinc saeculis in Europa, atque adeo in Italia, quae propter frequentissimum illud Bononiense Lyceum tamquam legum, & Canonum parens habe-

batur, studii Juris civilis ad scientiam Canonicam necessitas esse putabatur, ut tritum illud, prout testatur Magister Canus de Locis Theologicis Lib. 10. cap. 8. factum esset apud Italos sermone proverbium: *Il Legista senza capitolo vale poco; ma il Canonista senza legge vale niente*. Invaluerat enim vero, quae nunc etiam multorum animis infixa manet opinio, ita inter se has duas facultates esse connexas, & colligatas, ut non possent sine gravissimo utriusque detrimento invicem disjungi, ac dissociari. Ad hanc vero confirmandam opinionem mirum quantum extenderent dictum illud Lucii 3. cap. *Intelleximus*. de N. O. N. *Sicut leges non dedigantur sacros Canones imitari; ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur*.

Quod enim Pontifex in adducto textu dicit, statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvari, ita accipiunt, ut quotiescumque evenerit, nihil singulare in Jure Canonico circa aliquam materiam statui, id tamquam propria sibi adsciscere, quae in Jure civili de eadem re constituta sunt; adeo-

que istud quoad partes illas vacuas, seu lacunas Juris Canonici, quas replet, quae paucae non sunt, fieri si non origine, communicatione virtutis, & ecclesiasticae auctoritatis Canonicum. Hinc ratiocinando inferunt: sicut perfectus in scientia Juris Canonici ille esse non potest, qui maximam hujus partem ignoret; ita nec qui Jus civile, quod, ut supra dictum est, non minimam constituit Juris Canonici partem, ignoraverit.

Haec sane interpretatio, & quae huic nititur ratiocinatio fundamentum suum habet in falsa quadam, quam sibi nonnulli efformarunt Juris Canonici ideam, nihil aliud hoc vocabulo intelligentes, quam artem quamdam causas in foro ecclesiastico tractandi, quem ex tribus illis aspectibus, sub quibus hujusmodi Jus considerari potest, ignobiliorem esse diximus, ad quem etiam summus Pontifex, cum mutuum illud subsidium civilium legum, & Canonum praedicaret, praecipue respexisse videtur, ut ex ipso contextu clarissime apparet. Propositum fuerat Pontifici ab ipsius Delegato, utrum procedere deberet ad demolitio-

Digitized by Google

nem Capellae erectae in praejudicium Ecclesiae Parocchialis, aut Baptismalis, post factam, ut dici solet, denuntiationem, seu prohibitionem, prout reapse demoliri, seu dirui poscebat pars adversa, quae detrimentum ex erectione illius aedificii patiebatur. Causam suae dubitationis hanc Delegatus afferebat, quod licet civilibus legibus demolitio aedificii contra hujusmodi prohibitionem erecti praescripta sit, incertum sibi erat, an ad eam procedi posset Canonico judicio, *cum nihil de denuntiatione novi operis sit in Canonibus definitum*, uti legitur in parte recissa. Hinc responsum Pontificis generali licet formula editum: *Sacrorum statuta Canonum &c*, ex quo ad illud descendit particulare, quo jubet negotium hujusmodi secundum legum statuta terminari, ad normam propositae quaestionis, intra limites illarum controversiarum coercendum, quae in foro ecclesiastico de rebus ad humanos usus spectantibus excitari possunt, nec certam tamen habent in sacris Canonibus decisionem.

Concedentes igitur nonnullam stu-

dii Juris civilis ad agendas apud Judicem ecclesiasticum causas, quod Forensium proprium est, posse esse utilitatem, quae tamen qualis, & quanta sit postea diligentius expendetur; nunc quod maximum, quod praecipuum est, de aliis duobus generibus Canonum scilicet, & Decretalium cultorum, in quae praeter illud Forensium summa fit eorum divisio, qui Juri Canonico secundum aliquem ex tribus, quos proposuimus, ejusdem aspectibus incumbunt, accurate investigandum, an ipsis necessarium, aut saltem utile dici debeat studium Juris civilis ad perfectionem suo nomini convenientem assequendam.

Equidem quod ad Canonum cultores attinet, accepto hoc vocabulo in illa sui significatus proprietate, quam supra indicavimus, arbitror sine ullo erroris discrimine dici posse, minimam, aut nullam esse hujus studii necessitatem, aut etiam utilitatem, ut quis excellens in eo genere evadat; cum hujusmodi necessitas, aut utilitas a nemine primis Ecclesiae saeculis agnita fuerit, nec ulla possit firma ratione comprobari. Neque enim arbitror

Dionysium illum Alexandrinum a S. Basilio in epistola ad Amphilochium ob Canonum peritiam commendatum, caeterosque illius aevi Episcopos, qui hujusmodi scientiam velut in proprio patrimonio habebant, se ad illam, ut postea factitari coepit, audiendo per aliquot annos e subseliis Juris civilis Doctores praeparasse. Quod si quis eorum, legitima ante susceptum Clericatum, ut de Ambrosio didicimus, civilis studii spatia, alium plane in finem, confecisset; non ideo putandus est, aliquem sibi primatum in scientia Canonica arrogasse, aut ab aliis eidem fuisse delatum supra illos, qui hujusmodi studia ne primoribus quidem labris degustassent.

Quin nec saeculo decimotertio haec doctrinae civilis utilitas, aut, ut multi arbitrantur, necessitas agnita fuit; aliter enim haud tanta severitate prohibitum fuisset cap. *Non magnopere*. *Ne Clerici, vel monachi*: *omnibus in religione aliqua degentibus post emissam professionem a Claustro ad studium legum civilium exire*; multoque minus in cap. *Super specula*. eo-

dem extensa fuisset prohibitio studii Juris civilis ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Praepositos, Cantores, & alios Clericos personatus habentes, nec non Presbyteros; multoque minus prohibitum fuisset eodem cap. *Super specula*, cujus aliud fragmentum adducitur titulo *De privilegiis*: *ne Parisiis, vel in Civitatibus, seu aliis locis vicinis quisquam docere, vel audire Jus civile praesumat*. Quandoquidem supposita hujusmodi studii ad scientiam Canonicam necessitate, aut utilitate, generalis istius prohibitio innumeras personas, imo & integras provincias necessario, aut valde utili privaret instrumento ad acquirendam scientiam, ex qua tantum in Christianam Societatem commodi, ac decoris redundaret; & quae non minus alia quacumque Romanis Pontificibus praedictae prohibitionis auctoribus cordi esse debebat.

Quod si relicta auctoritate rem ex intimis, quae ab illius natura manant, rationibus aestimare velimus, nihil prorsus inveniemus, unde haec Juris civilis necessitas, seu utilitas ad intelligentiam Ca-

nonum, legumque ad constitutionem, & conservationem ecclesiasticae disciplinae propius spectantium, qua in re vim, rationemque scientiae Canonicae ipse colloco, inferri possit. Cum enim nihil habeant hujusmodi Canones, sive ratione materiae, sive ratione principiorum, quibus nituntur, aut finis, ad quem tendunt cum legibus civilibus commune, nescio quod lumen, quodve subsidium possint ab illis recipere? Cum dico non esse ad scientiam Canonicam necessarium, ac ne quidem valde utile studium legum civilium, non illas etiam comprehendere intendo de rebus ecclesiasticis a potestate civili latas, quae aliis permixtae in Novellis Justiniani, & in ejusdem Codice, multoque magis in Codice Theodosiano, nec non in Capitularibus Regum Galliae, quorum natura inter illam legum civilium, & Canonum fluctuare videtur, haud exiquo numero reperiuntur.

In praedictis legibus, seu constitutionibus praeter originem, progressionemque multarum rerum ecclesiasticarum, qualis illa immunitatis tam personalis,

quam realis, episcopalium de rebus ad usum praesentis vitae spectantibus arbitriorum, & judiciorum, nec non de Haereticorum poenis; innumerabilia alia ecclesiasticae disciplinae capita proposita inveniuntur, quae inutiliter alibi quaererentur, vel quia deperditi sunt Canones, quibus illa nitebantur, vel quia cum nulli essent Canones anteriores, ex quibus illorum origo repeti possit, fuerunt primum ab illis legibus introducta. Harum quidem legum nonnullas certo constat, de aliis vero credi potest, factas fuisse suggerentibus, aut consentientibus, vel saltem conniventibus illis, penes quos erat ecclesiastica auctoritas: aut ab ipsis tamquam Ecclesiae utiles receptae, & nova quadam virtute donatae fuerunt.

Quapropter non satis sacrorum Canonum studiosis commendare possum assiduam praedictarum legum, aut constitutionum lectionem, quae quoad illa omnia, quae a legitima auctoritate, aut ab ipso usu confirmatae fuerunt, non tam velut leges civiles, quam velut Canones ecclesiatici considerari debent. Quoad ipsas

vero Imperatorum constitutiones, quae Theodosium, ac Justinianum praecesserunt, sciendum iisdem in Codice Theodosiano sententiis, ac verbis referri, quibus fuerunt a suis auctoribus promulgatae, cum in Codice Justinianeo multis appareant locis mutilatae, aut immutatae. Quapropter Codicis Theodosiani amplis, & eruditis a Jacobo Gothofredo commentariis illustrati ad disciplinam illius, & praecedentis temporis maximus usus esse debet; ad disciplinam vero temporis Justiniani, hujus Codicis, & Novellarum; denique ad disciplinam medii aevi, praesertim in Gallia, Capitularium.

Quae hucusque de necessitate, aut utilitate studii Juris civilis ad eorum, qui strictiori sensu Canones appellantur, perfectum intellectum dicta sunt, non eadem ratione ad quascumque earum Decretalium, quae in Collectione Gregoriana, & in aliis costituentibus vulgo dictum Corpus Juris Canonici continentur, transferri possunt. Cum praedictae collectiones eo tempore in lucem prodierint, quo sequuta Juris civilis instauratione, hujus

propriae notiones, atque ideae admodum communes evaserant, non solum in illarum ordine, atque, ut ita dicam, totius operis textu proxime ad illum Codicis accedente, certa quaedam similitudo, & convenientia amborum Jurium deprehenditur; verum haec etiam in multis titulis, & capitibus, quae vertuntur circa materias Juri civili analogas, observatur. Id quod vel de illis titulis, seu capitibus intelligendum, quae Hierarchiae ecclesiasticae formam, aut quovis modo externam disciplinam spectant.

Hinc quidquid in Decretalibus de officio, & potestate Legati copiose disseritur, videtur ad normam eorum fabrefactum, quae in Jure civili dicuntur de officio Proconsulis, quocum Legati comparantur cap. *Legatos. De officio Legati in 6.* ubi dicitur, esse instar Proconsulum, caeterorumque Praesidum, quibus certae sunt decretae provinciae moderandae. Quin & Clemens 3. cap. *In audientia. De sententia excomunicationis* propositam sibi quaestionem: utrum privilegio Canonis gaudeat Clericus, qui reli-

cto habitu clericali arma gestat militaria, ex Jure civili ita solvit: *Cum lex saecularium Principum huic responso satis efficax afferat argumentum, qua manifeste cautum habetur, matronam, cujus pudicitia attentata fuerit, non posse injiiriarum agere, si in veste meretricali fuerit deprehensa: hujusmodi Clerici, &c.* & in cap. *Nulla. De concessione Praebendae*, quod desumptum est ex Concilio Lateranensi, necessitas decreti prohibentis concessionem, seu promissionem Beneficii non vacantis stabilitur exemplo ducto ex Jure civili: *Cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe est, & divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei futurae succesionis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt.* Ad istorum exemplum in specie illa, in qua cum titulo colorato concurrat error communis, ut si quis Beneficium, cui annexa sit jurisdictio, latenti aliquo vitio, propter quod nulla fuerit ejus collatio, adeptus sit; docent sacri Juris interpretes, Ecclesiam hujusmodi jurisdictionem

Digitized by Google

supplere ex ratione legis *Barbarius*. D. *De officio Praetorum*, in qua postquam narratum fuit, Philippum quemdam servum fugitivum Romae Praeturam gessisse, proposita quaestione, an quae dixit, quae decrevit nullius forent momenti; an forent propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt, ad normam eorum, quae Jure civili constituta sunt; respondetur, *nihil eorum reprobari... cum etiam potuit populus Romanus servo decernere hanc potestatem*. Innumera alia adduci possent exempla, in quibus Decretalium jura ab his, qui illa interpretantur, explicantur, extenduntur, aut restringuntur, ut propriis in locis hujus generis scriptorum videre licet. In his omnibus tamen aequitatem potius Juris civilis, quam ejusdem auctoritatem certum est ab illis sumi tamquam fundamentum, & regulam suarum decisionum, legemque ipsam civilem non alio fine citari; nisi ut appareat, aequitatem illam non esse arbitrariam, neque proprii cerebri commentum, sed jam ab illis prudentibus, quos leges civiles habent auctores, agnitam, & usu comprobatam.

Non propterea dici debet, aut po-

test, studium Juris civilis absolutae cujusdam esse necessitatis, ac ne quidem magnae utilitatis, vel ad intellectum illorum diciplinae capitum in Decretalibus expositorum, quae propter certam, quam habent cum aliis materiis Jus civile spectantibus affinitatem, juxta hujus principia, & notiones explicari solent. Quaecumque enim notitiae Juris civilis ad perfectiorem intellectum illarum Decretalium quidquam possunt conferre, ab illorum libris, qui in ipsas Decretales commentaria, aliosve, quocumque ferantur nomine, tractatus ediderunt, aut etiam ab ipsis Jurisconsultis, parce tamen, quantum ad praesentem usum fuerit necesse, peti poterunt; quin ad hoc opus sit Juris civilis scholas frequentare, aut in ejus studio etiam extra scholam multum immorari.

Nunc ab ea Jurisprudentiae in Decretalibus contentae parte, quae disciplinam propius spectat, ad aliam ejusdem partem, quae circa fori controversias occupatur, gradum facientes, videamus, quae, quantaque possit ad hanc esse necessitas, aut utilitas Juris civilis. Controversiae,

quae in foro ecclesiastico agitari possunt, ni me mea fallit opinio, ad unum trium generum revocantur, & pro singulis horum generum diversum esse debet responsum. Primum genus est illarum, quarum scopus, seu materia est natura sua spiritualis, aut saltem ecclesiastica, quales sunt controversiae, seu causae matrimoniales, & beneficiales, omnesque aliae, quae versantur circa delicta, quibus violatur Jus aliquod Dei, sicut haeresis, blasphemia, simonia; aut Ecclesiae, quatenus haec constituit societatem a civili distinctam, ut in Clericis delicta illa, quorum fiunt rei ob neglecta, quae illorum statui generatim, aut officii, & ministerii particulatim sunt propria; in omnibus vero inobedientia, & contumacia contra ipsam Ecclesiam. Ad quascumque finiendas controversias, quae super praedictis rebus, aliisque ejusdem generis excitari possunt, existimo nullam, aut minimam esse necessitatem subsidiorum Jurisprudentiae civilis; cum satis ad hoc sint, quae ab antiquis Canonibus, aut a Summis Pontificibus in suis Decretalibus circa hujusmo-

di materias constituta fuerunt, sicut aperte habetur cap. *Super specula*. *De privilegiis*, ubi anteoccupans Pontifex, quod contra prohibitionem a se factam studii Juris civilis in urbe Parisiensi, aliisque huic vicinis objici poterat: *Occurrunt*, inquit, *raro ecclesiasticae causae tales, quae non possint statutis Canonicis expediri*.

Secundum genus controversiarum, quae in foro ecclesiastico definiri debent, est earum, quarum materia secundum se spectata est temporalis, seu profana, ac solum quadam illius destinatione, seu applicatione facta Ecclesiae, aut cuiquam loco pio ecclesiastica evadit. Hujusmodi sunt controversiae omnes, in quibus agitur de testamentis, ut dici solet, *ad pias causas*, de emptione, aut venditione, permutatione, locatione, oppignoratione rerum Ecclesiae, aut alterius loci pii, de quibus extant proprii in Decretalibus tituli haud multum illis dissimiles, qui super eadem materia in Pandectis, & Codice reperiuntur. Ad terminandas hujusmodi controversias nullus dubito multum conferre posse notitiam eorum, quae in hoc rerum

genere Jure civili constituta sunt; cum enim sint reipsa temporales, ac solum respectu quodam externo ecclesiasticae, debent, his tantum exceptis, quae circa illas in Decretalibus peculiariter constituta fuerunt, Jure civili censeri.

Praeter haec duo controversiarum genera, quae ad forum ecclesiasticum deduci possunt, est & tertium aliud, cujus scopus, seu materia non solum reipsa, sed etiam ratione suae destinationis, atque usus est temporalis; ac solum ratione personae immunis ad forum ecclesiasticum spectat, quales sunt controversiae omnes circa bona illa, quae privatim Clerici jure haereditario, testamenti, donationis, aliove simili possident, quae vulgo etiam patrimonialia dici solent, nec non illae, in quibus agitur de fortunis viduarum, aliarumque miserabilium personarum, quae propter patrocinium, quod istarum suscipit Ecclesia, in hujus foro judicari solent. Ad hujusmodi controversiarum, causarumque cognitionem, ac definitionem omnibus exploratum est requiri tam in judice, quam in iis, qui causam instrue-

re, rationesque alterutrius partis promovere debent, non mediocrem Juris civilis doctrinam; quandoquidem hujusmodi causae non minus in foro ecclesiastico, quam in civili tractari, ac terminari debent juxta id, quod circa rem, de qua est controversia, a legibus civilibus praescriptum fuit; nam si peculiare quidquam de re illa statuit Jus Canonicum, id communiter in foro etiam civili recipitur. In praedictis autem controversiis, quod maxime observandum est, neque judices, neque causae patroni, actoresque, seu promotores agunt, ut Canonistae, sed ut mere Civilistae, a quibus solum differunt ratione fori, cum in reliquis perfecte conveniant. Ex his omnibus manifesto deducitur, necessitatem, quam doctrinae Juris civilis habent judices, actoresque causarum cum secundi, tum maxime tertii generis, non posse ullatenus dici propriam Canonistarum, ne quidem largiori hujus vocabuli significatu, quo & Decretalistae, & Forenses, qui in foro ecclesiastico causis tantummodo ecclesiasticis intendunt, comprehensi veniunt.

Quaecumque hucusque de necessitate, aut utilitate studii Juris civilis ad judicia exercenda, aut causarum patrocinia suscipienda in foro ecclesiastico dicta sunt, materiam praecipue spectant triplicis illius generis controversiarum, quae in praedicto foro agitari posse diximus. Nam si spectetur ordo, seu processus judiciarius, qui in foro ecclesiastico ad terminandas cujuscumque rationis controversias servari debet, digestus, ut ita dicam, ad normam civilis, persuadebit sibi aliquis omnino necessarium fore studium Juris civilis ad exercendum in praedicto foro officium judicis, patroni, aut actoris. Verum enim vero dum mecum reputo totam illam jurisprudentiae partem, qua ordo judicialis in utroque foro servandus stabilitur, plenius, & accuratius proponi in Decretalibus, quam in Pandectis, aut in Codice; existimo, potius quam Decretalistae ad libros Juris civilis, mittendos esse studiosos Juris civilis ad libros Decretalium, ut hinc discant ordinem, & formam judiciorum utrique foro communem. Ex his omnibus clare deducitur, multo minorem,

quam vulgo creditur, esse necessitatem, aut utilitatem studii Juris civilis, ut quis perfectus evadat Canonista; addo etiam Decretalista, nisi velimus & nomina, & officia confundere. Neque aliud concluditur ex his, quae adduci solent ad tuendam illam a multis adeo praedicatam necessitatem, nisi ad exercendum munus judicis, aut patroni in foro Canonico, seu ecclesiastico, ratione causarum temporalium, quae propter aliquam destinationem, seu applicationem rei controversae factam Ecclesiae, aut loco pio, personaeve immunitatem, in illo foro dijudicandae sunt, requiri peritiam Juris civilis haud dissimilem illi, quae requiritur in judice laico.

CAPUT V.

De utilitate, & necessitate Theologiae ad Scientiam Canonicam.

Ut debita distinctione, & ordine de utilitate, & necessitate studii Theologiae ad perfectionem scientiae Cano-

Digitized by Google

nicae agamus, libenter fateor, haud quidem istud necessarium; ac ne quidem utile dici posse ad illam Canonicae scientiae partem, si tamen hoc nomine digna sit, quae tota occupatur in subministrandis opportunis subsidiis ad rectam institutionem, & prosequutionem litium, & controversiarum, quae in foro ecclesiastico agitari solent. Si quae ad hoc necessitas foret Theologiae, illius certe foret, quae moralis, & practica appellatur; quamquam neque hujus quidem, si accurate loqui velimus, potest aliter ad Jurisprudentiam Canonicam necessitas admitti, quam ad facultatem medicam, aut chirurgicam, ad mercaturam, & si quae sunt aliae liberales, seu mechanicae artes; ad quas eatenus utilis est moralis Theologia, non ut recte, sed ut multum, ut sine conscientiae offensione exerceantur.

Aliter de illa parte Jurisprudentiae Canonicae ratiocinandum est, quae disciplinam spectat, qualis in illis maxime, qui proprie vocantur Canones, ac in multis etiam Collectionis Gregorianae, aliarumque posteriorum capitibus continetur. Ad hanc

igitur tantummodo studium Theologiae etiam speculatricis, sicut studium Juris Canonici ad illam Theologiae partem, quae de moribus agit, valde necessarium, aut utile propugno; quocirca solebat dicere Vir Cl. Carolus Berardi, ut de se ait in laudata a me alias praefatione, *eum, qui insalutata Theologia Canonum Magister audit, non Canonum disciplinam, sed Canonum disciplinae dimidium possidere.*

Nomine autem Theologiae sublimem illam scientiam intelligo, quae innixa supremae, ac fallere nesciae Dei loquentis auctoritati, qualis in sacra pagina, Apostolicis traditionibus, & authenticis Ecclesiae definitionibus maxime eminet, de Deo ipso, ejusdemque ineffabili natura, ac perfectionibus ratione sui; de aliis autem rebus Deo inferioribus, quatenus ab illo tamquam uberrimo fonte dimanant, aut ad ipsum tamquam finem ultimum referuntur, graviter, cordate, prudenterque disserit. Hujus inquam Theologiae studium, sive sub illo aspectu, modoque simpliciore consideretur, quo a Patribus scripto, aut etiam voce e suggestu con-

ferto populo proponebatur, aut illo magis artificioso, & ad leges Dialecticae pene exacto, quo a posterioribus Doctoribus in scholis tradi solet; si tamen, ut convenit, resecatis inutilibus quaestionibus, & vanis subtilitatibus tradatur; si non penitus necessarium, utilissimum saltem ei, qui ad perfectionem scientiae Canonicae adnititur, judicari debet.

Revera si mentis nostrae aciem ad remotissima nascentis Ecclesiae tempora convertamus, atque inde ad saeculum duodecimum, velut per quosdam gradus descendamus; inveniemus scientiam Theologicam, & Canonicam ita fuisse inter se conjunctas, ut potius quam duae, una, atque eadem videretur scientia, & prout de Italia, & Sicilia cecinit Poeta, de illis dici possit: *Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque una foret*: quandoquidem longo illo tot saeculorum curriculo iidem, qui Theologi habebantur, erant Canonistae, veterum scilicet interpretes, & novorum Canonum auctores.

Primi, quod nemo nescit, Ecclesiae Theologi fuerunt Apostoli, ac de his no-

vimus eodem tempore, quo populis voce, & scriptis litteris arcana sublimioris Theologiae annuntiabant, haud omisisse Christianae Religionis institutionibus multa addere disciplinae praecepta, quae quoad rem ipsam, ab illis, qui postea appellati fuerunt Canones, non differebant. Post Apostolos in Episcopis praecipue resedit scientia Theologica; iidemque innumerabilium, quos ad nos transmisit antiquitas, Canonum auctores fuerunt. Congregati in Conciliis post impletas Theologi partes concipiendis, ac proponendis dogmaticis definitionibus ad majorem fidei, oppositis erroribus quodammodo obscuratae, explicationem, ad implendas Canonistarum partes editione novarum legum, seu Canonum disciplinam spectantium, aut restitutione antiquorum in veterem observantiam veniebant. Atque hic quidem priscorum Conciliorum mos in posterioribus etiam Conciliis sive a Graecis in commune cum Latinis, sive a solis Latinis seorsim celebratis, ac in novissimo omnium Concilio Tridentino servatus; in quibus omnibus, si unum, aut alterum excipias, una cum

fidei definitionibus diversi Canones, aut decreta disciplinae edita fuerunt.

Est autem inter antiqua, & recentiora Concilia hoc tantum discriminis, quod in illis Episcopi, qui fere tunc sanctissimi, & doctissimi e Clero eligebantur, Theologos simul, & Canonistas agerent: in Conciliis vero post dissidium illud factum inter Theologiam, & scientiam Canonicam celebratis, ac nominatim in Concilio Tridentino, ad adjuvandos Episcopos in digerendis fidei definitionibus vocati fuerint Theologi; ad decreta autem disciplinae Canonistae. Iidem Episcopi, qui, ut vidimus, prioribus Ecclesiae saeculis erant in Conciliis & definitionum dogmaticarum auctores, & Canonum disciplinae conditores, veritates jam definitas subjecto populo, ut Theologi explicabant, & conditos antea disciplinae Canones, ut Juris in illis contenti apprime periti interpretabantur, & ad singula facta applicabant, subditum sibi Clerum & populum juxta eorundem spiritum per semitam virtutis dirigentes, & controversias ecclesiasticas ex eorundem praescripto

Digitized by Google

summa facilitate, & brevitate finientes. Et generatim conjunctio scientiae Theologicae, cujus praecipuus fundus sunt sacrae paginae, cum scientia Canonica Sacerdotibus omnibus, atque adeo Episcopis commendatur Canone 24. Concilii Toletani Dist. 38, can. 1. *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas sanctas, & Canones.*

Quod si relictis argumentis ab antiquorum exemplo, usuque longævo petitis rem istam ex intima ejus natura, & huic insitis rationibus definire velimus, statim summa convenientia, & nexus harum duarum facultatum, & quod nunc praecipue agimus, quantum scientia Canonica a Theologica pendeat, apparebit. Magister quidem Canus summus ille Theologus, & Theologorum institutor lib. 8. de locis theologicis cap. 7. universam scientiae Canonicae materiam in tria genera dispescens, in horum primo constituit quaecumque ad catholicam fidem profitendam, & explicandam pertinent; in secundo, quae ad mores, & religionem christianam, quantum aut ex evangelica lege, aut naturae ratione licet colligere; in tertio denique, quae

ad religionis caeremonias, & officia Ministrorum Ecclesiae, quatenus haec omnia disponuntur legibus positivis. Hinc quantus sit in unoquoque horum trium generum Theologiae usus inquirens, de primo ait, eorum titulorum expositionem, qui de fide decernunt, Jurisperitum a Theologo mutuari debere, cujus rei eam rationem affert: quod principia, unde Pontifices, & Concilia ad quaestionem fidei decernendam proficiscuntur, propria sint Theologicae facultatis; cujus autem est de principiis cognoscere, ejusdem est & de illis, quae ab hujusmodi principiis descendunt. Similiter de secundo genere ait, in his, quae ad mores pertinent, quatenus vel lex evangelica, vel ratio philosophica de hujus modi praescribit, rectam, & sanam earum rerum cognitionem Jurisperitos a Theologis mutuam accepturos. Nam cum Theologi sacrarum litterarum cognitio propria sit, quaecumque de moribus vel in sacris litteris continentur, vel ex eisdem per certam connexionem conficiuntur, ubivis Theologus invenerit, ea tamquam sua vindicabit: Jurisperitus autem ut aliena mu-

tuabitur. Cumque rursus philosophiae principia a Theologis etiam habeantur, ut qui de virtutibus, & vitiis, de fine humanae vitae, deque actionibus, quibus ad hunc finem pervenitur, longe, lateque disserant, & super harum rerum jactis fundamentis morum fabricam extruant; certe quae in Jure de moribus ex principiis naturae ratione constitutis praescribuntur, ea Theologus quasi suo sibi jure assumet, Jureconsultisque exposita, & enucleata tradet. De tertio tandem genere agens, quidquid de moribus Ecclesiae, & religionis institutis, nec non de poenis per leges tantum pontificias decernitur, Juris Canonici peritis tamquam proprium reservat. Quae cum ita sint, quis statim non videat, quam inopem & mancam illius, qui omnibus Theologiae subsidiis destitutus fuerit, scientiam Canonicam esse oporteat, cum in duabus suae possessionis tertiis partibus velut hospes, & peregrinus futurus sit?

Sunt autem & aliae rationes tribus illis generibus communes, quibus sin minus necessitas, maxima saltem utilitas studii Theologiae ad perfectionem scientiae

Digitized by Google

Canonicae, in tota illa suae longe patentis materiae vastitate demonstratur: Theologia tamquam in subjecto suarum speculationum maxime proprio in rebus illis occupatur, quas credere, & sperare, scientia vero Canonica in illis, quas agere de bemus: illa circa finem, haec circa ea, quae conducunt ad finem. Sicut igitur fides, & spes praecedere, & fulcire debent nostras actiones, & consideratio finis considerationem eorum, quae sunt ad finem: ita etiam Theologia praecedere, & fulcimento esse debet scientiae Canonicae. Theologia praeterea rimatur intima, atque, ut ita dicam, animam, seu spiritum corporis mystici, cujus caput, ut inquit Apostolus ad Ephesios, 4. *est Christus, ex quo totum corpus compactum, & contextum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram cujuscumque membri, augmentum corporis facit in aedificationem*. Scientia autem Canonica sibi proponit tamquam praecipuum, ne dicam unicum suum scopum, externum regimen istius corporis. Ut igitur regimen externum corporis internae ejusdem con-

stitutioni esse consentaneum, & ab anima, seu spiritu hujus motore in omnibus dirigi; ita & scientia Canonica in condendis, & interpretandis legibus, per quas Ecclesia regitur in exteriori politia, a Theologia, quae circa intimam naturam hujus corporis mystici maxime occupatur, mutuari debet, & ab ea omnino dirigi; ita ut omnia juxta modum loquendi Apostoli referantur ad augmentum corporis, in aedificationem in charitate.

Quae autem sit hujus divinae virtutis, in quâ suprema consistit lex, & ad quam omnes aliae leges tamquam finem referendae sunt, vis, & potestas a nemine melius, quam a Theologis cognoscitur. Hujus virtutis praestantiae plenae sunt omnes sacrorum librorum paginae, plena omnia SS. Patrum volumina, quibus excutiendis, legendis, meditandis maximam operam Theologus debet impendere. Ad hanc igitur fixo obtutu Theologi respicientes, eam sive in novis ferendis legibus, sive in illis, quae jam prius latae fuerunt, interpretandis moderationem adhibere solent, cujus illi, qui meri sunt Canonistae,

seu Decretalistae, nimio quodam sublimioris disciplinae studio, nec satis animo versantes, *quid ferre recusent, quid valeant subditorum humeri*, aliquando obliti videntur. Hinc summus illius temporis Theologus Jacobus Lainez, ut refert Pallav. Hist. Concilii Trid. lib. 23. cap. 3. n. 3. quosdam Patrum, qui se propensos nimium monstrabant ad alia super aliis nectenda vincula novarum obligationum, ex ratione vere Theologica admonuit, ne nimis essent faciles in ferendis legibus annexam habentibus peccati obbligationem, quod gratiam illis observandis necessariam, sicut Deus praestat ad observandas leges, quas ipse tulerit, dare non poterant. Divus etiam Thomas Quodlibet. II. Quaes. 8. art. 9. proposita quaestione utrum aliquis loquendo, comedendo, seu stando cum excommunicatis peccet mortaliter, relicta duriore Canonistarum, seu Decretalistarum sententia, mitiorem aliam, quae videtur fuisse Theologorum, sequutus est: cumque sibi objecisset multos Magistros Decretorum, & magnos aliter sentire, absque haesitatione respondet: *opinio Decre-*

talistarum non est vera, quia ipsi plus assentiunt in his, & sequuntur Jus humanum, quam divinum, cum plus sit assentiendum divino, quam humano; & ideo melior est opinio aliorum (Theologorum puto) *qui dicunt contrarium*. Quae sane ratio, cum ad omnia illa se extendat, in quibus animae periculum vertitur, manifesto apparet, quantum ad interpretationem Canonum, qui de his rebus lati fuerint, a Theologia Jurisprudentes subsidii habere possint; cum in hujusmodi vel sine scientia Canonica Theologus Canonistae, aut Decretalistae rerum theologicarum plane rudi praeferendus esse videatur.

CAPUT VI.

De utilitate Historiae Ecclesiasticae ad Canonicam scientiam.

Quicumque diligenter consideraverit, quantum praesidii ad uberiorem intellectum legum ecclesiasticarum, seu Canonum longo tot saeculorum cursu edito-

rum, aut ad eorundem instaurationem, novorumque, cum opus fuerit, editionem veterum factorum notitia subministrat; statim deprehendet maximam esse utilitatem, quam ab historiae studio, qui sacris Canonibus dant operam, percepturi sunt. Addo ego fore hanc longe majorem quoad leges ecclesiasticas, seu Canones antiquiores; majorem adhuc quoad illos, qui praeter antiquitatem hoc habent etiam peculiare, quod nunquam scripturae commendati fuerunt, aut si quidem fuerint, nullum ad nos illius pervenit monumentum. Quo aetas, in qua praedictae leges originem suam habuerunt, a nobis est remotior, quo magis illarum adjuncta oblivionis tenebris sunt involuta, major historiae facis est necessitas, quae hujusmodi res, ex quibus multum pendet intellectus, & usus ipsarum legum ecclesiasticarum, seu Canonum, ex illa, in qua jacent obscuritate, in bona luce, ac velut in meridie suae intelligentiae ponat. Quantum ad illas vero leges, seu Canones, quorum nullum apud nos manet scripturae monumentum, multo major est aut utilitas, aut ne-

cessitas historiae; cum neque illa, quibus concepta fuerunt verba, siquidem verbis ullis constent, apud nos maneant; neque illarum sententia, quam sola vetus observantia exhibet, aliter quam ex historica rerum praeteritarum narratione haberi possit.

Ad melius id percipiendum in memoriam revocari debet, tametsi nullos Apostoli scripto ediderint disciplinae Canones ea forma, qua postea ab eorum successoribus in Conciliis generalibus, & particularibus edi consueverunt (quandoquidem illi, qui sub nomine Canonum Apostolorum saeculo quinto, aut sexto in vulgaribus collectionibus videri coeperunt, Apostolos minime habent auctores); nihilominus cum Ecclesias in ipso gentilitatis sinu primum fundarent, formam quamdam disciplinae sanctissimae, quoad praecipua illius capita ubique similem in illis constituisse. Neque diversa, prout ex eventu licet conjicere, fuit ratio, quam ii, qui Apostolis proxime successerunt, circa nova disciplinae capita, quae veteribus, prout necessitas suadebat, adjunxerunt,

sequuti sunt; quandoquidem neque isti ullos scripto ediderunt Canones, aut certe ad nos cum nota loci, aut temporis suae editionis non pervenerunt: quippe ad tertium, vel ad quartum saeculum antiquissimi, quos habemus hujus generis, referendi sunt. Posterioribus vero saeculis, tametsi frequentior fuit modus leges, seu Canones ex scripto ferendi, non desunt tamen exempla legum ecclesiasticarum illius temporis, quas sola traditio, seu observantia introduxit.

Verum quidem est plures ex hujusmodi traditionibus, praesertim quae Apostolos, eorumque proximos successores habuerunt auctores, postea scripto exceptas, & sub forma ecclesiasticarum legum, seu Canonum in Conciliis generalibus, aut particularibus promulgatas, quo stabilior, & securior earum observatio efficeretur. De aliis vero nec rerum pondere levibus, nec numero paucis indubitatum est, non aliter, quam traditione, & observantia, cujus originem, progressum, ac vicissitudines sola conservat historia, ad nos pervenisse.

Constituta hoc modo studii historiae utilitate cuicumque, qui in scientia Canonica perfectus esse cupit; nonnulla addenda sunt de ratione, quam unusquisque in eo tenere debebit, quo propositam sibi metam facilius attingat. Quicumque in studio historiae ecclesiasticae alium sibi finem non proponunt, quam notitiam qualem qualem acquirere factorum ad generalem, aut privatum statum Ecclesiae pertinentium, sive solam in eo delectationem, sive alicujus etiam doctrinae opinionem tamquam finem sibi proponant, quaecumque ipsis occurrunt, eoque, quo occurrunt ordine, nullo habito delectu legunt; quod omnia sint illis unius modi. Si quod autem inter illa est discrimen, hoc fere non ab ipsius narratae rei natura secundum se spectatae sumitur; sed ex aliqua ejusdem qualitate, propter quam legentis mentem vividius, ac jucundius percellit, puta admirabilitate, insolentia, aut novitate, aut alia quacumque ejus ingenio, aut indoli magis accomodata.

Hujusmodi lectio propter confusam rerum variarum, parumque inter se co-

haerentium multitudinem omnium minime apta ad hoc, ut alte, atque ut ordine quodam infixae maneant in mente legentis factorum notitiae, quas nobis historia subministrat; atque, ut uno dicam verbo, crassior est, quam ut scientiae rationem possit aliqua similitudine exprimere. Multo aliter res contingit, cum Theologus quispiam, aut Juris Canonici cultor ad magis roborandam, atque ornandam, quam profitetur, facultatem, historiae ecclesiasticae studium in auxilium advocantes, hujusmodi utuntur delectu, ut ille, quae cum dogmate, hic quae cum disciplina majorem habent nexum ab aliis segregans, cum illis suae facultatis capitibus, quae hoc fulcimento indigent, apte connectit, atque in unum compingit. Quicumque hoc modo in studio historiae versabitur, maximam proculdubio ex illo capiet utilitatem, & quod res singulae, quae facile memoria excidunt, cum nullo vinculo nectuntur, sic inter se, & cum his, quae propria sunt facultatis, ad quam referuntur, constrictae, & colligatae multo fortius legentis menti inhaereant, atque,

gis, quam temporum habita ratione, continenti lectione percurreret.

Ut autem aliquod hujus ordinis, quo ab uno ad aliud rerum genus transitus fieri debet, specimen exhibeam, arbitrarer initium ducendum ab illa parte historiae, quae circa Concilia tam generalia, quam particularia, ac summorum Pontificum scita, seu Decretales epistolas versatur. Quandoquidem vero duo in Conciliorum historia maxime consideranda sunt, quod ad doctrinam scilicet, & quod ad disciplinam spectat, Theologo relinquens quidquid ad doctrinam spectat, in eo, quod disciplinae illustrandae deservire potest, Juri Canonico operam daturus diligentius immorabitur. Ad disciplinam autem imprimis spectare videtur ratio in convocandis Conciliis a principio habita, & quo praecipue auctore coacta, quinam iisdem vice Romani Pontificis praefuerint, quae illorum partes, quinam habitus honos; quales Patriarcharum, Metropolitarum, caeterorumque Episcoporum; quae ratio habita in proponendis capitibus in ipso Concilio discutiendis, in colligendis suffragiis, in subscri-

bendo; quodnam denique officium Magistratuum, ac Judicum, quos aliquibus Conciliis generalibus cum potestate quadam interfuisse memoriae proditum est. Ad eandem disciplinam spectat forma judicialis processus servata in pluribus causis non levis momenti in iisdem Conciliis propositis, expensis, & ad exitum perductis. Maxime autem ejus, quem fingimus, Juris Canonici consulti intererit historiae praesidio detegere, quinam eo tempore, quo unumquodque coactum, ac celebratum fuit Concilium pravi irrepsissent contra morum honestatem, ac disciplinae integritatem usus, quique illorum praecipue Canonibus in illo editis occasionem praebuerunt; cum ea, quae ab Episcopis hinc inde in eodem Concilio dicta, ac disputata fuerunt; quandoquidem haec omnia in actis plurium Conciliorum, iisdem, quibus a contendentibus prolata sunt, verbis referuntur; & a diligentioribus historicis cum aliis antiquitatis monumentis in unum collata, & conservata sunt.

Quod ad Epistolas pariter Decretales adtinet historica face imprimis inve-

Digitized by Google

stigandum, quam rationem in illis concinnandis Pontifices habuerint, quibus usi consiliariis, qua praemissa discussione petentibus responsa sua dederint. Et quoniam illae ad singulares fere Ecclesias scriptae fuerunt, quibus gradibus disciplina in illis contenta evaserit generalis; & quod ad generaliter obligandum generalis necessaria fuit promulgatio, quis modus in hujusmodi promulgatione fuerit servatus, aut quid in illis promulgationis vicem subierit. Particulatim autem circa singulas Decretales eadem historica face investigandum, quaenam eo, quo unaquaeque illarum edita fuit, tempore esset status, seu facies cum universae Ecclesiae, tum Ecclesiarum illarum, ad quas missae fuerunt, quinam hominum mores, quaenam opiniones, qui usus.

Quoad singula vero facta nexum aliquem cum legibus ecclesiasticis habentia, quorum nobis memoriam aliquam conservavit historia, ea in tot capita revocanda arbitror, quot sunt capita, seu tituli Juris Canonici, hujusmodi habito in illis rerum delectu, ut unicuique Juris

capiti, seu titulo suum respondeat propter materiae congruentiam simillimum historicum caput. Istorum vero studium ita erit conjungendum, ut illud praecedat, istud proxime sequatur. Praecedere autem studium eorum, quae in unoquoque capite, seu titulo Juris Canonici continentur, ideo rectius existimo, quod nisi quis notitiam aliquam sibi adquisiverit legum, seu Canonum, quae sub unoquoque titulo proponuntur, scire non poterit, quaenam sint facta historica, a quibus possint illae lucem aliquam accipere; nisi forte quis ex sola tituli inscriptione satis se instructum putaret, ut facta illa quaecumque ad materiam propositi tituli spectantia simul colligeret, ac velut in promptuario reponeret, quibus postea, ut ratio uniuscujusque legis exigeret, uteretur.

Tametsi studium illud, quod fit per indices librorum universe non probem, haud tamen idcirco eorum industriam damnaverim, qui postquam corpus ipsum, ut ita dicam, historiae ecclesiasticae nec oscitanter pervolutaverint, quaesitis in indice, tamquam venis, quo omnis vitalis

succus confluit, rerum illarum vocabulis, quae majorem nexum habent cum illis disciplinae capitibus, aut Canonibus, quae aliqua indigent historica illustratione, omnia, quae sub illis vocabulis citantur, loca excutiant, atque intime perpendant. Cum vero a viris doctis libri, & dissertationes, seu diatribae editae sint, quibus magna diligentia quidquid in vastissimo historiae ecclesiasticae campo reperiebatur dispersum, quod ad illustrationem alicujus disciplinae capitis, seu Canonis, aut Canonum ad illud pertinentium conferre posset, in unum collegerunt; non erunt eorum opera negligenda, sed litterato illorum labore utendum; reservato unicuique jure eorum, quae afferunt, pondus, gravitatemque ad trutinam revocandi; ne si ad eam, quam ipsi adamaverunt opinionem, quod saepe accidit, facta historica vel imprudentia, vel calliditate detorsissent, in eandem incautum lectorem propellant. Quaecumque a me de ordine in studio ecclesiasticae historiae servando dicta fuerunt non ita necessitatis cujusdam legi subdita sunt, ut non possit aliquid le-

Digitized by Google

gentis genio indulgeri, atque ita praedictus ordo immutari: quare illud tantummodo hac in re perpetuum, & immutabile existimari debet, ut habito rerum delectu, iisdemque sub quibusdam generibus saltem mente constitutis, singula genera ad respondentia Juris Canonici capita ita referantur, ac simul compingantur, ut in unum cum illo corpus, eandemque scientiam coalescant.

Quandoquidem vero innumerae hoc tempore a diversis auctoribus cum latino, tum vulgari idiomate conscriptae historiae ecclesiasticae circumferuntur, ut multitudo ipsa, & similitudo incertam, & difficilem reddat electionem; existimarem quidem in auctore, quem quis in hujusmodi studio ducem sequi velit, deligendo, narrationis potius fidem, quam dictionis elegantiam, ac rhetoricam luxuriem spectandam. Unde ille etiam mihi, modo nihil obstet, reliquis praeferendus videtur, qui scriptorum illorum, a quibus rerum narratarum notitiam desumpsit, non sententiam modo, sed verba etiam, quoad fieri potuit, servaverit; aut etiam ipsa

authentica monumenta suae historiae inseruerit, vel ita ut jacent in suis archetypis, vel in compendium redacta; indicatis auctorum, seu librorum locis, quibus rerum narratarum fides nititur, ut diligens lector possit illos, si libuerit, adire; in his enim, ut verum dicam, quicumque ad perfectionem scientiae Canonicae aspirat, debet ad extremum conquiescere.

CAPUT VII.

De utilitate artis criticae ad scientiam Canonicam.

Ab ea, quam praecedenti capite constituimus, historiae utilitate ad scientiam Canonicam in aliquo perfecto gradu acquirendam, facile unusquisque poterit intelligere, non minimam esse ad eundem finem artis criticae, sine qua neque in ipsius historiae studio magnus potest fieri progressus, sive necessitatem, sive utilitatem. Verum praeter istam, quae ab illius ad historiam cum fructu legendam

Digitized by Google

necessitate petitur, rationem, est & alia, quae ipsammet Jurisprudentiam Canonicam in se, ac sine interpositu cujusquam alterius disciplinae attingit. Est enim tanta in antiquis Collectionibus, ac praecipue in illa Gratiani, unde doctrina Canonica magnam partem petenda est, legitimorum Canonum cum spuriis, & suppositiis permixtio, ut sine magno artis criticae praesidio internosci, ac discerni non possint. Quod vero rem istam multo reddit difficiliorem, ac pene inextricabilem illud est, quod hujusmodi errores non quidem in solis Collectionibus, sed alibi originem suam habeant. Nam si solius Collectoris culpa, aut oscitantia illi in consarcinatum ab eo opus irrepsissent, facile ex collatione Canonum, aut sententiarum, in quos admissi erroris suspicio incideret, cum praecedentibus Collectionibus, aut cum operibus archetypis, ex quibus desumpti fuerunt, deprehendi possent. Cum autem fontes ipsi, unde praedicti Canones, aut sententiae in Collectiones derivaverunt, vitiati reperiantur, non potest non evadere maxime difficile,

& usquequaque incertum huic tanto malo adhibendum medicamentum.

Possunt autem commode errores omnes, quibus ipsi infecti sunt fontes, ad duo genera revocari. Primum est illorum, qui cujuscumque rationis monumentis, seu graece, seu latine editis sunt communes; aliud illorum, qui monumentorum tantummodo graece scriptorum sunt proprii. Atque ut ab illis, qui prioris sunt generis, incipiam, non defuerunt ex graecis, qui data opera antiquos Canones, aliaque ecclesiastica monumenta praemio aliquo, seu commodo, aut fingendi libidine inducti depravarent, cujus rei postulati, & convicti fuerunt notarii Concilii Chalcedonensis, multique alii, post schisma praesertim excitatum, valde suspecti. Quorundam vero ex latinis tanta fuit temeritas, ut acta Conciliorum, prout fertur, quae nunquam celebrata fuerunt, Decretales item antiquorum, & maxime venerabilium Pontificum, Principum diplomata, ac privilegia, aliaque hujus generis fingerent, quae tamquam pretiosae antiquitatis reliquiae undique conquisita non modice Col-

ctorum volumina auxerunt. Alii brevitatis cupidi in summaria, seu compendia fusiores Canonum, Patrumque sententias contrahentes, fragmentaque fragmentis nectentes, eorundem legitimum sensum multis partibus depravarunt. Plurimum etiam circa titulos, & nomina Conciliorum, auctorumve, ex quibus singuli Canones, aut sententiae desumptae, erratum fuit. Quod ad errores illos, qui monumentorum graece editorum tantummodo sunt proprii, contigit haec non raro interpretis oscitantia, aut malignitate ita deformari, ut diversus, vel contrarius in latino, in quod versa fuerunt, idiomate ab eo, qui legitur in graeco, sensus appareat. Est & qui liberiori, & sensum magis, quam verba reddenti Canonum interpretationi, quae auctorem habet Dionysium exiguum, tametsi magno plausu exceptae, tamquam hominis ad privatos magis suos fines, quam ad veritatem aliquando illam aptantis, parum fidat; in quo tamen minus aequum, qui ita censet se praebere arbitror homini de Ecclesia optime merito, & cujus virtuti, & doctrinae adeo

praeclarum Casiodorus scriptor illius temporis dedit testimonium. Indicatis huc usque erroribus magnus adhuc cumulus accesit ob culpam, seu negligentiam scribarum, seu librariorum, qui nimia festinatione, atque imperitia multa turbarunt, omissis, aut corruptis, vel etiam additis nonnullis vocabulis, aut integris etiam sententiis, notis plerumque marginalibus, aut interlinearibus in textum traductis; novisque tentatis emendationibus, quibus nulla fortasse suberat probabilis ratio, nisi quod illa, quae constante veteri lectione illic statui videbantur, consentanea non erant disciplinae illius temporis, in quo hujusmodi correctio, seu emendatio facta fuit.

Nunc, ut quis ab hoc tot, tantarumque difficultatum labyrintho, quot, quantasque aut fingendi libido, aut Interpretum imprudentia, aut scribarum ignorantia, & oscitantia, necnon Collectorum indiligentia debuit producere, sese extricet, solidae ac purgatae cujusdam Criticae auxilium necessarium est; nec illius tantum, quae in uno aliquo excellenti li-

set doctrina, & ingenio viro reperiri potest; sed quae multorum in eundem finem conspirantium studiis, & observationibus coaluerit. Est enim haec res tanta, ut neque unius hominis, quamvis perspicacissimi, & constantissimi ingenio, ac labore, longo quovis tempore, nec multorum ejusdem perspicacitatis, & constantiae brevi tempore posset confici. Quapropter opportune in maximum Canonicae Jurisprudentiae commodum factum est, ut homines laboris patientissimi, omnibusque ad id necessariis ingenii, & doctrinae ornamentis instructi huic operi ab annis fere ducentis tanta contentione incumberent, ut nihil admodum, quod ad hujus perfectionem conferre valeat, praetermissum videatur.


Neque tamen idcirco sibi aliquis blandiatur, ceu liceret hoc tempore cuivis sacris Canonibus operam dare cupienti, ita aliorum laboribus frui, ut omnem criticae artis comparandae a se curam abjiciat. Quicumque enim sine hujus subsidio aliorum de authenticitate hujus, aut illius operis, hujus aut illius Canonis di-

ctis sese ita commiserit, ut omnia, quae ab illo, quem sibi ducem elegerit, rejecta fuerint, rejiciat, quae ab eodem approbata, approbet, in magno erroris discrimine versabitur. Necesse est igitur ei, qui scientiae Canonicae dat operam, vel ob id saltem Criticae praesidio esse instructum, ut valeat de aliorum Critica judicare. Pertinet autem hoc judicium cum ad personam illius, qui Criticum agit, tum ad momenta rationum, quibus suam sententiam fulcire nititur. Circa personam diligenter perpendendum, an non sit nimis fortasse facilis ad reprobandum, quae ab aliis communiter probantur; an non studio partium, aut praejudicata aliqua opinione ad illud proferendum judicium fuerit inducta. Circa rationum autem momenta, quodnam sit uniuscujusque pondus, quae gravitas: ne si pro veris, solidisque argumentis leves quasdam conjecturas, ac veluti argumentorum umbras recipiamus, alieno nobis vitio, quod plerisque aliis proprio, contingat; ut dum vera multa tamquam falsa rejicimus, operum, quae legimus, non tam judices, & correctores, quam temeratores esse videamur.



PARS II.

De studio Juris antiquioris, quod praecipue continetur in Decreto Gratiani.



Postquam de his, quibus animus ad studium Juris Canonici praeparari debet, copiose disseruimus, de libris, in quibus hujus praestantissimi studii materia continetur, accurate agendum est. Occurrit autem imprimis Decretum, ut vulgo dici solet, Gratiani, quamquam verus ejus titulus ab ipso auctore, ut ex antiquis manuscriptis eruitur, illi primum datus, sit: *Concordia discordantium Canonum*. Est autem, ut supra innuimus, una ex partibus componentibus hodiernum Corpus Juris Canonici; imo dici recte potest, eam, sicut ordine, &

tempore, ita etiam dignitate, & praestantia esse primam, quod majori, quam in ulla alia illic copia collecti inveniantur Canones, qui per plures aetates ad morum constituendam firmandamve disciplinam inventi, & ad nos traducti sanctissimam vivendi formam in se continent. Unde non utile tantummodo, verum etiam necessarium ei, qui ad laudem perfecti Canonistae pervenire sibi proposuit, existimari debet studium Decreti; sic enim juxta communem loquendi usum a nobis deinceps vocabitur. Quo autem major hujus sit utilitas, omniaque removeantur impedimenta, atque offendicula, in quae posset impingere quicumque contra illa non fuerit praemunitus, multa quidem observanda dabimus circa naturam, & proprietates hujus celebratissimi operis, quae ad elegantiorem ordinem, & majus legentis commodum, sub diversis titulis, prout materiae diversitas exiget, proponentur.

CAPUT I.

De natura, atque internis Decreti proprietatibus.

Quod ante omnia circa Decretum Gratiani observari debet, est, non quidem illud, ut vulgo creditur, Canonum esse Collectionem, quales multae istud praecesserant, & postea etiam sequutae sunt, sed ut velimus accurate loqui, opus Canonicum dicendum, in quo a suo Auctore diversae nunc sub nomine distinctionum, nunc sub illo Causarum, & Quaestionum proponuntur Controversiae ex Canonum sententia, quorum etiam discrepantias, sive veras, sive apparentes in concordiam revocare studet, dijudicandae. Hinc vero fit, ut Canones diversorum Conciliorum, qui in hoc opere adducuntur, non sint eo ordine dispositi, quo in ipsis Conciliis, unde sumpti fuerunt, nec Concilia eo, quo fuerunt celebrata; sed illo potius, quem materiarum controversarum ratio, ac natura requirit. Praeterea non omnes Canones uniuscujusque Concilii a Decreti Auctore adducuntur; sed illi dum-

taxat, quos ad illustrationem, & confirmationem eorum, de quibus sibi disserere proposuit, necessarios, aut utiles existimavit. Quod de Canonibus Conciliorum dictum fuit, extendi pariter debet ad epistolas Decretales summorum Pontificum, quae neque servato temporum ordine, neque integrae producuntur, in quo ab usu constanti antiquiorum Collectorum, ac nominatim Dionysii exigui, & Isidori Mercatoris, seu, ut alii legunt, Peccatoris, plurimum recessit, qui in suis Collectionibus & Canones Conciliorum, & Decretales Pontificum juxta ordinem temporum, nullaque in illis facta diminutione, seu sectione, disposuerunt.

Est & hoc aliud peculiare in Decreto Gratiani, quod praeter Canones plurium Conciliorum cum generalium, tum particularium, & fragmenta epistolarum Decretalium, aliarumque similium a Romanis Pontificibus ad diversos scriptarum, plurima illic reperiuntur fragmenta operum, quae Sanctos Patres, aliosque ecclesiasticos viros habent auctores, in quo exemplum, ut arbitror, sequutus est Re-

ginonis, qui omnium primus videtur inter latinos hujusmodi fragmentis in sua Collectione locum dedisse. His permixtae reperiuntur in eodem Decreto leges non paucae partim a Codice Theodosiano, partim a Jure Justinianeo desumptae, cujus rei exemplum illi praebuerunt cum supra nominatus Regino, tum Jvo Carnotensis, qui omnibus fuit Gratiano proximior. Haec omnia, diversi licet generis, ita a Gratiano cum his, quae de suo aut explicando, aut colligendo addit, nectuntur, ut unus ex illis orationis textus effici videatur; eo fere modo, qui a Petro Lombardo, vulgo sententiarum Magistro, circa Patrum sententias, quas magno numero in suo opere collegit, servatus est: unde non videtur aliquam cujusquam momenti adduci posse rationem, cur nomen Collectionis Gratiani potius Decreto, quam Magistri operi tribuatur.

Nihilominus quia inveteratus usus obtinuit, ut Gratiani Decretum Collectio appelletur, cujus etiam speciem quamdam praesefert, ex quo & numeris, & diversa litterarum forma Canones, aliorumque

scriptorum sententiae ab his, quae Collector de suo addidit, distingui coeperunt; de nomine Collectionis litem non moveo, quin talis appelletur, ut a me etiam deinceps appellabitur, sicut de nomine Decreti, quod juxta communem usum illi tribuitur, antea monui. Non ego verba hic faciam de confusione, & inconcinnitate Gratiani in proponenda materia, nectendisque quaestionibus, quae in suo Decreto continentur, quod de hujusmodi re plures alii egerint, nec magni ad finem, quem mihi proposui, videatur momenti; sicut neque de erroribus, magno numero in referendis aliorum dictis, seu sententiis ab eodem commissis, cujus rei jam alias a me leviter indicatae plenior, & accuratior pro summa ejusdem gravitate tractatio in alium commodiorem locum differetur. Unde nulla interjecta mora venio ad discussionem quarundam aliarum rerum valde scitu necessariarum, ut magis expeditus, atque ab omni immunis offensione evadat usus libri tanto omnium Juris Canonici Consultorum plausu, & consensione suscepti.

CAPUT II.

De auctoritate Decreti generatim.

Cum de auctoritate Decreti quaeritur, duos proposita quaestio, eosque non parum inter se diversos potest habere sensus; alter quaenam sit illius auctoritas in se ipso spectati, & prout quoddam est singulare, & individuum opus, seu Collectio; id est, an talis sit praedictae Collectionis auctoritas, ut omnes Canones, seu sententiae in illa contentae, ob eam solam rationem, quod sint eidem insertae, gaudeant eodem gradu auctoritatis, nullo habito ad opera, auctoresque, ex quibus desumptae fuerunt, respectu; alter quaenam sit auctoritas, quae praedictis convenit Canonibus, aut sententiis, seorsim consideratis ratione operum, auctorumque, a quibus fuerunt desumptae sine ullo ad Collectionem ipsam respectu. Quaestio hic loci tractari debet juxta priorem ex duobus indicatis sensibus; reservata in sequentem titulum ejusdem discussione juxta priorem sensum.

Cum autem in praedicto Decreto prae-

ter verba, & sententias ex variis sacrae antiquitatis monumentis depromptas, multa occurrant ex penu ipsius Collectoris illúc collata; de prioribus illis quaeritur, an omnia hujusmodi dicta, & sententiae ob solam illam rationem, quod fuerint Decreto insertae nullo habito ad suam originem respectu plenissimam habeant legis auctoritatem. Haec quidem auctoritas hac ratione Decreto convenire non nisi uno ex tribus modis concipi potest. Primus quidem, ut ab ipso auctore, seu Collectore quodcumque dictum, aut sententia, quam suo operi inseruisset ad dignitatem legis obligantis virtute illi simili, qua Rex Midas, ut est in fabulis, quidquid contingeret in aurum convertebat, evectum fuerit; alter, ut vim, & dignitatem istam a suprema auctoritate opus illud, seu Collectionem approbante; tertius, ut eandem a generali consuetudine, seu communi consensu recepisset.

Quod ad primum ex his tribus modis attinet, cum inter omnes constet, Gratianum Decreti illius, seu Collectionis auctorem fuisse hominem privatum, atque

ad aggrediendum, prosequendumque istud suum opus non quidem imperio ejus, qui generali praeditus esset jurisdictione; sed privato ob commune commodum consilio, actum fuisse; extra omne dubium est, non potuisse praedictae Collectioni a suo auctore vim illam Juris generalis, de qua agimus, communicari. Superest igitur investigare, an ipsi eadem contigerit ratione alicujus legitimae approbationis, aut saltem communis usus, & receptionis. Quantum ad approbationem, scriptum reliquit Trithemius in vita Gratiani, fuisse hujus Decretum ab Eugenio III. approbatum. Verum cum laudatus auctor, qui trecentis post Gratianum annis floruit, nullum afferat, ac ne quidem indicet hujus approbationis authenticum documentum, vel saltem idoneum illius testem appellet, Trithemii dictum, tamquam hominis, qui de re loquitur ad suum tempus minime pertinente, & ab scriptoribus Gratiano coaevis ignorata, aut saltem silentio praeterita, tamquam omni destitutum fundamento communiter respuitur. Cum igitur neque ab Eugenio III.,

neque ab alio, quod sciatur, summo Pontifice Gratiani Decretum fuerit approbatum; superest, ut videamus, an auctoritas illa, quam neque a suo auctore, neque ab aliqua sequuta approbatione Gratiani Decretum sortitum est, a generali consuetudine, seu receptione eidem obtigerit, qui postremus est ex tribus illis modis, quibus diximus auctoritatem juris potuisse acquirere. Verum cum hujusmodi consuetudo, seu receptio, utpote facti, admittenda non sit, nisi probetur, nullosque habeamus testes, aut cujusquam generis monumenta, quae de illa fidem faciant; quin imo interpretes tam Civilis, quam Canonici Juris maximo consensu affirment, non plus auctoritatis habere Canones, & sententias Decreto Gratiani insertas, ea quam potuit illis vel a Conciliis, vel a Pontificibus, aliisve scriptoribus, ex quibus desumptae fuerunt, communicari; reliquum est, ut dicamus, nullo ex tribus indicatis modis juris auctoritatem praedicto Decreto obtigisse.

Hinc prorsus apparet, quid de consuetudine illa dicendum, quae non est

unius, aut alterius tantum, sed fere omnium, neque eorum solum, qui Jus Canonicum profitentur, sed illorum etiam, qui de morum disciplina agunt, apud quos a remotissimis temporibus invaluit, ut Canones, & sententias Decreti citent non appellato opere, seu auctore, unde fuerunt desumptae; sed Distinctione, Causa, Quaestione, ubi illae reperiuntur. Nam si nullam Collectio ipsa singulis ejus Canonibus, aut sententiis auctoritatem conciliat, sed haec, quantacumque est, a propriis illorum fontibus in ipsos derivavit, non minori, quam locus, quem tenent in Decreto, debuisset diligentia exprimi opus, & auctor, a quo illae acceptae fuerunt. Quapropter qui Gratianeos Canones, aut sententias, quod ex eadem desumptae essent Collectione, velut paris auctoritatis indiscriminatim obtrudunt, prout illi videntur facere, qui eum, quem dixi, in illis citandis modum observant, ei similes arbitror, qui nummos aureos, argenteos, aeneos, aut etiam plumbeos, quod ex eodem acervo accepti, unius omnes pretii haberi vellet.

Quapropter, ut hujusmodi imprudentiae notam a tot doctis viris amoveam, quae fuerit illorum mens, quid respexerint probabili aliqua conjectura assequi conabor. Existimarunt illi, ut arbitror, indicato loco, quem citatus Canon, seu sententia in Decreto obtineret, viam pariter demonstratam illis, ad quorum eruditionem citarentur, sese de origine, & auctore, cujus superpositae inscriptiones fidem facerent, certiores reddendi. Id quod vere hac nostra aetate dici posset, cum errores quicumque inscriptionum, qui antea erant pene innumeri, opera Romanorum Correctorum, aliorumque eruditorum virorum, qui in purgando Gratiani Decreto plurimum laborarunt, emendati, suisque auctoribus singuli Canones, seu sententiae, quae aliis erant insignitae nominibus, restitutae, ut de hoc argumento suo loco agentes fusius explicabimus.

Quamquam autem retro elapsis saeculis nullum propter praedictos errores firmum duci posset argumentum ad judicandum de vero uniuscujusque Canonis, seu sententiae auctore; quod tamen nul-

la adhuc orta esset suspicio de falsitate inscriptionum, tanti putabatur illis temporibus nosse auctorem, quem ferebat inscriptio, ac verum auctorem adducti Canonis, seu sententiae. Atque haec quidem ratio communis est quibusvis Canonibus, seu sententiis, sive in foro externo, & contentioso ad alicujus causae controversae definitionem, sive extra illud ad stabiliendum aliquod jus, quod conscientiam adstringat vinculo obligationis, adducantur. Est tamen alia peculiaris pro Canonibus, qui ad finiendas hujus generis controversias in praedicto foro velut ex formula citari solent. Tametsi enim haud generatim concessurus sim, Canones omnes in Decreto Gratiani contentos eam a communi usu, seu receptione, vel in foro contentioso, auctoritatem sortitos fuisse, ut tamquam Juris necessitatem secundum illos judicandi inferentes, recipiendi sint; hoc nihilominus facile de illis concesserim, qui ab antiquissimo tempore ad probationem alicujus doctrinae in foro communiter receptae, aut usus in eodem confirmati adduci, nemine contra-



dicente, consueverunt. Sic, quod exempli causa dictum sit, quia in foro tam ecclesiastico, quam civili universe receptus est Canon *Redintegranda* C. 3. q. 1. in quo plenior, quam alibi uspiam spoliatis conceditur restitutio, antequam de his, quae ipsis objecta fuerunt, in judicio respondere teneantur; frustra contra illius auctoritatem opponeretur, non esse illum neque Joannis primi, cui in Decreto tribuitur, neque alterius Pontificis, ut optimis, ac validissimis rationibus probat eruditissimus Berardi in suis supra eundem Canonem discussionibus.

In hujusmodi igitur Canonibus, in quibus tota eorum vis non ex auctore pendet, sed ex usu, & receptione fori, satis fuerat illis, qui eos opponerent, locum Decreti indicare, quo reperto posset adversarius omnia Canonis verba expendere, ac secum reputare, an eo sensu esset adductus, quem verba exprimerent, & quo in foro esset receptus. At quoniam auctoritas hujusmodi neque omnibus convenit Canonibus, qui hinc inde in praedicto foro citari solent; neque il-

iis plerumque, qui ad stabiliendum aliquod disciplinae caput, jusque conscientiam vinculo internae obligationis adstringens afferuntur, rectius fecissent, facient omnes, qui Canonem aliquem, aut Canones ex Decreto, aut retro elapsis temporibus citaverunt, aut futuris citabunt; si una cum loco, in quo iidem quaerendi, indicaverint etiam fontem, seu auctorem, unde accepti fuerunt. Item jure suo optimo utetur ille, contra quem citantur, aut quicumque in hujusmodi citationes inciderit, si auctoritatis pondus uniuscujusque Canonis ex ipso, unde manavit, fonte, seu auctore aestimaverit: & ut comparationi illi, cujus supra memini, insistam, diligenter perpenderit, an qui profertur Canon, sit inter aureos, argenteos, aut etiam plumbeos censendus. Quandoquidem igitur Canonum, qui in Decreto continentur, auctoritas, ut dictum est, ex suis fontibus, seu archetypis praecipuæ pendet, quod maximi id in re Canonica momenti sit, neque ab ullo ea, quam praestabo, diligentia factum; illis in certas classes, seu genera distributis, quid au-



ctoritatis unicuique horum generi a suo auctore communicatum fuerit, sequentibus sectionibus explicabo.

CAPUT III.

De auctoritate Canonum, qui sub nomine Apostolorum citantur.

Siquidem certum, & exploratum esset, auctores Canonum, qui vulgo dicuntur Apostolorum, eos esse, quorum praeferunt nomen, de illorum summa auctoritate dubitari non posset. Quin fore arbitror, ut conspicuus aliquis locus post libros novi testamenti illis assignaretur, prout a D. Joanne Damasceno, qui de illorum authenticitate, ut fere Graeci omnes sui temporis, persuasus erat, factum fuit lib. 4. De Fide orthodoxa cap. 16. Nostris vero temporibus, postquam diu, multumque hujusmodi res a Criticis vexata, & discussa fuit, diversum de illis est judicium; ac pro certo habetur, non esse praedictos Canones, ea forma, & conceptione verborum, qua nunc exhibentur, ab Apostolis editos. Quamquam improbabile non

Digitized by Google

sit, in nonnullis istorum diversa contineri disciplinae capita ab illis usu introducta, & in eam, quam nunc habent, Canonum formam a privatis Episcopis, aut Conciliis redacta; unaque cum aliis priscae aetatis Canonibus ad numerum octoginta quinque in Collectione, quae primum sub finem quinti saeculi lucem vidit, posteritati commendata.

Nunc mihi de gradu auctoritatis praedictorum Canonum in Occidente dicturo, quandoquidem a Graecis post illorum approbationem, & confirmationem factam in Concilio Trullano, omnes octogintaquinque in numero ecclesiasticarum legum habentur, magnam dubitationem ingerit diversus modus, quo de his loquuntur duo summi Pontifices, quorum oppositae sententiae adducuntur a Gratiano in Decreto. Primus illorum est Gelasius cap. *S. Romana* 2. Dist. 15. in quo leguntur numero 64. sequentia verba: *Liber Canonum Apostolorum apochryphus*. Consonat Gelasio Isidorus Hispalensis relatus Canone 1. Dist. 16. in haec verba: *Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec*

Digitized by Google

Sedes Apostolica recipit, nec *S. Patres illis assensum paebuerunt*, *pro eo quod ab haereticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur: quamvis in eis utilia inveniantur; tamen ab auctoritate Canonica, atque Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apochrypha deputata*. Alter Pontifex, cujus de hac re sententia e regione opposita est sententiae Gelasii, est Leo 4., qui in epistola data ad Episcopos Britanniae relata Canone 1. Dist. 20. indicem texens Canonum, quibus, ut loquitur, in omnibus ecclesiasticis utimur judiciis, primo loco, adeoque ante ipsos Nicaenos, nominat Apostolorum Canones. Neque id totum. Quod me magis movet, est sequens formula, qua indicem suum laudatus Pontifex claudit: *Quamob causam luculentius, & magna voce pronunciare non timeo, quia, qui illa, quae diximus, Sanctorum Patrum statuta, quae apud nos Canonum nomine praetitulantur, (sive sit ille Episcopus, sive Clericus, sive Laicus) non indiferenter recipere convincitur nec Catholicam, & Apostolicam fidem, nec san-*

cta quatuor evangelia utiliter, & efficaciter ad effectum suum retinere, vel credere probatur. Videre praeterea licet citatos a Concilio Tridentino cap. 1. Ses. 25. magna honoris significatione Canones Apostolorum hoc eodem nomine: *cum & Canones Apostolorum &c.*

In hac tanta judiciorum, dictorumque discrepantia viam quamdam mediam tenendam arbitror; unde meliori, quo fieri possit, modo sententiae ita, quoad speciem saltem, oppositae in concordiam revocentur. Quocirca diligenter observandum est de numero praedictorum Canonum Graecos inter, ac Latinos usquequaque non convenire. Nam cum Graeci, ut dictum est, illos ad numerum octoginta quinque admittant; Latini resecatis ex hoc numero triginta quinque, solos quinquaginta in honore habent. Quod ad Gelasium igitur attinet, qui librum Canonum Apostolorum vocat apocryphum, cum nobis ignotum sit, quosnam Canones liber ille contineret: an octoginta quinque Graecorum, an illos tantum quinquaginta, quos suscipiunt Latini, an alios sive

ab istis, sive ab illis diversos; non potest contra auctoritatem praedictorum quinquaginta Canonum a Gelasii censura firmum duci argumentum. Quod si de his ipsis nominatim dixisset esse apocryphos, aliud credendus esset hoc vocabulo significare noluisse, nisi eos ab Apostolis, quorum nomen praeseferunt, non fuisse conditos; adeoque illa destitui suprema auctoritate, quae ipsis ex tam sublimi origine proveniret.

Postquam nos a Gelasii censura, qui omnem videbatur Canonibus, ut vocant, Apostolorum abrogare auctoritatem, expedivimus; veniamus ad Leonem quartum, qui tantam ipsis tribuit, quantam verba illa indicant, quibus nullam esse fidei, aut evangelii utilitatem pronuntiat iis, qui eos non recipiunt. Posset quidem imprimis dici, cum in enumeratione, seu indice ecclesiasticarum legum, quibus hujusmodi defertur honor, non parum inter se discrepent exempla epistolae Leonis, firmum argumentum de auctoritate harum, aut illarum legum, seu Canonum minime ex hoc haberi, quod indici illi invenian-

tur inserti. Dici etiam posset non esse improbabile tempore Leonis sub umbra adeo excelsae originis, quae illis Canonibus tribuebatur, generalique consensu eam, maxime in judiciis, de quibus in illa epistola loquitur tantum Pontifex, acquisivisse auctoritatem, quae sine gravi culpa contemni non posset: unde eos recipere detrectantibus nec fidei, nec evangelii professio ad salutem futura esset utilis; quam tamen auctoritatem detecto errore circa eorum natales haud amplius conservare videntur. Posset ulterius dici sententiam illam Leonis restringendam esse ad Canones Conciliorum, quos propterea in illa sua conclusione vocat Sanctorum Patrum statuta, quod quidem Patrum nomen ex usu loquendi potius, quam Apostolis, Episcopis illorum successoribus convenire videtur. Dici tandem posset, cum epistola illa Leonis IV., unde exserptus fuit supra laudatus Canon. *De libellis*, scripta fuerit ad instruendos paucos Episcopos Britanniae, haud tanti esse roboris quidquid in ea dicitur, ut si pro communi fidelium eruditione fuisset ad universam

Ecclesiam directa. Quin etiam arbitror posse sine ulla temeritatis, aut irreverentiae nota sustineri, energicam illam loquendi formulam, quâ velut cujuscumque, fidei, & evangelii utilitatis pronuntiantur exsortes, qui una cum aliis sanctissimis Ecclesiae legibus Canones Apostolorum non recipiant, excursum fuisse illius, cui Pontifex scribendam mandavit epistolam; siquidem, ut fieri solet, alterius ad id opera usus est; & a Leone ipso mitiori quodam, quam verba praeseferunt, sensu toleratam. Unde qui post editam, ac Decreto insertam illam epistolam omnem praedictis Canonibus auctoritatem abrogarunt, aut illam in dubium revocarunt, nihil veriti sunt, ne ob id tantum, fidei, evangeliique professio ipsis redderetur inutilis.

Hoc modo inter se commissis, & conciliatis duorum, quae invicem pugnare videbantur, Pontificum sententiis, ut meam de Canonibus, qui vulgo Apostolis tribuuntur, mentem exponam, dico inprimis cum eruditissimo Berardi, grave in illis, licet Apostolici non sint, inesse

auctoritatis pondus, & maximam utilitatis ubertatem. Addo etiam, cum ante finem quinti saeculi editi fuerint, vero simillimum esse, disciplinam in illis contentam illo, & praecedentibus saeculis per varias temporum successiones ascendendo usque ad aetatem Apostolorum fuisse in Ecclesia introductam, atque firmatam; cujus rei argumento esse potest singularis, quae inter praedictos Canones, & illos, qui nobis supersunt Conciliorum dicti temporis, invenitur consensio. Nec tamen idcirco hanc tantam esse arbitror, ut pro legibus Ecclesiae generalibus indiscriminatim recipi debeant. Quamquam enim, ut cum aliqua veri similitudine indicatum fuit, eorum nonnulli disciplinam contineant ab Apostolis introductam; quod tamen ignoretur, an haec sub necessitate gravis praecepti pro universa Ecclesia ab illis fuerit inducta; multoque magis quibus illa Canonibus comprehendatur, non potest ex hoc capite, neque ratione suorum auctorum, quippe a privatis Episcopis, aut a particularibus Conciliis in Graecia primum editis, vis legis totam Eccle-

siam stringentis illis convenire. Ex quibus omnibus infertur, tametsi non possint Apostolorum Canones adduci tamquam hi, qui necessitatem juris afferant generalis, recte nihilominus citari cum aliquo delectu, tamquam venerabilia sacrae antiquitatis, & probatae disciplinae monumenta; & sumi etiam velut normam legum ad eandem disciplinam spectantium, quae exigentibus sic rerum adjunctis per temporum intervalla faciendae erunt. Talem videtur fuisse circa praedictos Canones sensum Patrum, qui interfuerunt Concilio Tridentino; nihil enim de gradu auctoritatis illorum Canonum, quos juxta communem loquendi usum vocant Apostolorum, definientes, & honorifice citant, & tamquam normam sumunt illius legis, qua viris ecclesiasticis prohibetur sanguine, aut vitae usu sibi conjunctos ex Ecclesiae proventibus ditare. *Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent.*

CAPUT IV.

De auctoritate Canonum desumptorum ex Conciliis generalibus.

Superfluum alicui videri poterat longam circa auctoritatem Canonum Conciliorum generalium orationem texere, cum omnia, quae de hoc argumento dici possunt, duobus verbis claudi valeant: *summam* scilicet esse, & *generalem*. *De auctoritate Conciliorum oecumenicorum*, ait eruditissimus Berardi in prolusione, quam praemittit prolixo suo tractatui de Canonibus Conciliorum, *nemo alius dubitare potest, nisi qui Ecclesiae universae judicium contemnat, ipsius sane Domini ore jamdiu damnatus*. Verissimum quidem quod ad fidei decreta attinet. Verum etiam quoad decreta, seu Canones disciplinae factos in pleno conventu circa res ad universam Ecclesiam spectantes, & ab eadem, aut ab hujus capite Romano Pontifice approbatos, aut saltem receptos. Quandoquidem si laudatus a me Berardi, ut ex modo, quo mentem suam loco supra citato ex-

Google

primit, deduci videtur, id intelligeret de omnibus illis Canonibus, qui in celebrioribus Conciliorum editionibus post fidei definitionem, aut aliter, tamquam ad communem Ecclesiae utilitatem proditi, certo quodam ordine dispositi cernuntur, non esset id generaliter verum. Quin ipse inconstans, ac sibimet contrarius propter multiplices, quas Canonibus nonnullorum Conciliorum generalium, ac praesertim Chalcedonensis, opponit exceptiones, comprobaretur.

Ex diversis sane causis fieri potest Canones communiter attributos alicui Concilio oecumenico vim legis generalis non obtinere. Prima quidem, quod in generali Patrum consessu, seu conciliariter, ut vocant, facti non fuerint; sed a nonnullis Episcopis in locum publicarum sessionum sine aliorum consensu, & notitia ad hunc finem convenientibus; id quod in confectione triginta Canonum Chalcedonensium, quot a Graecis numerantur, nuper a me laudatus Berardi accidisse contendit. Altera, quod licet in pleno consessu facti, restricti tamen fuerint juxta

illorum mentem, qui eos condiderunt, quoad necessitatem eorum observantiae, ad certa loca, quorum indigentiae, & particularium adjunctorum habita praesertim ratione, conditi fuerunt. Id quod factu facillimum fuit in illis Conciliis, quae a solis unius gentis, sive Orientalium, sive Occidentalium Episcopis, vel a majori alterutrius numero in propria ipsorum regione fuerunt celebrata. Quapropter legenti decreta Conciliorum, quae post fatalem illam majoris partis Orientalium ab Occidentalibus discessionem, aliorumque externo, & barbaro dominatui subjectionem, a solis latinis in Occidente fuerunt celebrata; statim innotescet, Patres, qui venerandis illis consessibus interfuerunt, eo mentem praecipue intendisse, ut sublatis e medio pravis usibus, & morum corruptelis, quae in Occidente praesertim irrepsissent, huic accomodatam disciplinam suis legibus stabilirent. Hinc cum in Concilio Tridentino cap. II. ses. 23. decernebatur, ut minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, conferantur, aut cum cap. 13. ejusdem ses. in-

ter qualitates in illis, qui ad sacros Ordines sunt promovendi, requisitas illa etiam recensetur, ut sperent Deo auctore se continere posse, continentia scilicet perfecta, qualis debet esse in caelibe; haud crediderim intendisse, qui hujusmodi leges tulerunt, astringere Graecos, aliosve ejusdem etiam cum nostris communionis, penes quos idioma ecclesiastici usus non esset latinum, nec severior caelibatus disciplina in mores inducta.

Ac generatim cum in Concilio Florentino Orientalium pene omnium reconciliatio cum Ecclesia latina certis propositis, atque admissis conditionibus, secuta fuisset, nullus de recipiendis Decretis Conciliorum Lateranensium, & Lugdunensium, aut cujuslibet alterius Concilii, toto illo tempore schismatis in Occidente celebratorum sermo cum Orientalibus fuit; sed suis moribus, suisque legibus, ut antea, permissi sunt vivere. Non autem sicut de posterioribus istis Conciliis a solis Occidentalibus in Occidente celebratis dictum est, leges in illis conditas hos unice, aut maxime, dicendum pariter est

de octo primis Conciliis in Oriente celebratis, eorum leges universe (quod tamen in una, aut altera admitti potest) suos Orientales, aut istos praecipue spectare. Tametsi enim major in illis esset numerus Episcoporum Orientalium, aderant nihilominus, nec infrequentes, Episcopi Occidentales, ac si unum excipias Concilium Constantinopolitanum I., in reliquis, quorum aliquos habemus Canones, praefuit per suos Legatos Romanus Pontifex. Unde quod illo etiam tempore Orientalis, & Occidentalis Ecclesiae utilitates non erant ita disjunctae, nec ita, ut postea, diversis supervenientibus rerum adjunctis, variatae; accidebat fere, ut Canones communibus studiis, ac communi consensu in Conciliis generalibus, quin imo & in particularibus ab Episcopis uniuscujuscumque gentis editi circa illa praecipua disciplinae capita fere versarentur, quae Orientali, & Occidentali Ecclesiae pariter convenirent. Id signanter loquendo de Conciliis particularibus videre est in Conciliis Ancyrano, Neocaesarensi, Gangrensi, Antiocheno, Laodicensi ex Graecis; & in

Carthaginensibus, aliisque ex Latinis. Tertia tandem causa, ob quam potest contingere, Canones Concilio alicui generali communiter attributos generale robur obligandi non habere, est, quia tametsi conciliariter facti, ac ratione materiae, seu rei praeceptae possent toti Ecclesiae convenire, non fuerunt ab eadem universe, aut ab istius capite approbati, aut recepti. Ac generatim contendunt nonnulli usque ad tempus Concilii Chalcedonensis, & ultra, alios Canones non fuisse hoc modo approbatos, & receptos praeter Nicaenos, & Sardicenses, comprehensos sub nomine Nicaenorum; quamquam nunc temporis de approbatione, & receptione Canonum quorundam aliorum Conciliorum, quocumque tandem modo, ac tempore sequuta fuerit, non dubitetur.

Hinc, ut omnis ambiguitatis, errorisque tollatur occasio, cum quaestio instituitur de auctoritate Canonum alicujus Concilii generalis, diligenter observandum est, posse istam ita institui, ut quaeratur de auctoritate, quam habuerunt in ipsa origine, aut de illa, quam habuerunt tan-

tum in progressu; ita ut, cum prius non haberent, temporis decursu illam acquisiverint. Qua observatione praemissa, venio ad inquirendum de auctoritate Canonum uniuscujusque ex octo primis Conciliis generalibus; quandoquidem his solis, loquendo de oecumenicis, in sua Collectione usus est Gratianus; nam quod sub nomine nonae Synodi, quae cum Lateranensi primo Concilio secundum aliam numerationem coincidit, citatum invenitur, nec inter Lateranensia, nec inter generalia Concilia habetur. Et quoniam Sardicense Concilium a multis consideratur tamquam appendix Nicaeni; Trullanum vero tamquam supplementum quintae, & sextae Synodi, de auctoritate Canonum utriusque horum Conciliorum in hac etiam discussione agemus.

Initio igitur ducto a Canonibus Concilii Nicaeni, agnosco valuisse semper, ac nunc etiam valere illorum auctoritatem in universa Ecclesia, absque ulla seu locorum, seu temporum restrictione: unde quod ad locorum adtinet universitatem, vere de praedictis Canonibus, seu regulis

scripsit Divus Leo in epistola ad Martianum: *ad totius Ecclesiae regimen, spiritu Dei instruente, sunt conditae;* quod verò attinet ad temporum universitatem, seu perpetuitatem ab eodem de illis dicitur: *mansuras usque ad finem mundi leges ecclesiasticorum Canonum*. Ex quo sane fit, in omnibus rebus, in quibus ob gravissimas causas, legitimaque interveniente auctoritate, ab illorum observatione non sit discessum, uti accidit circa celebrationem Conciliorum provincialium, quae cum quovis semestri ex Canone V. Nicaeno facienda esset, ad triennium ex decreto Concilii Tridentini ses. 24. cap. 2. prorogari permittitur, eorum auctoritatem fuisse ab initio, ac futuram semper inviolabilem.

Non tamen eodem modo ratiocinandum erit de Canonibus Conciliorum Constantinopolitani primi, Ephesini, & Chalcedonensis, tametsi haec, una cum Nicaeno, a Patribus, maximeque a Gregorio Magno quatuor Evangeliis quodammodo coaequentur, ut habetur Can. *Sicut* 2. Dist. 15. *Sicut sancti Evangelii quatuor li-*

bros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor; Nicaenum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum etiam primum; Chalcedonense vero tota devotione complector. Atque in primis Canones Concilii Constantinopolitani sine interventu Romani Pontificis, ejusve Legatorum in Graecia celebrati, & quod non aliter oecumenicum dici potest, nisi ratione consensus Occidentalium, ipsorumque ac totius Ecclesiae capitis, qui ejus dogmaticae definitioni accessit; non videntur ab initio vim auctoritatemque Juris generalis, ne ratione quidem communis receptionis ad solam fidei definitionem restrictae, obtinuisse. Unde Divus Leo in sua ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum epistola agens de uno praedictorum Canonum affirmat, nullam fuisse unquam de illo ad Sedem Apostolicam a suis decessoribus trasmissam notitiam. Et Lucentius unus ex Legatis ejusdem Leonis in Concilio Chalcedonensi de Canonibus Constantinopolitanis pariter dixit: *Canones istius Synodi in Synodicis constitutionibus non habentur*. Divus item Gregorius de

iisdem Canonibus verba faciens in epistola ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum Episcopos: *Romana*, inquit, *Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit; in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum*. Gregorium in hac sua distinctione sequuti videntur illi, de quibus eruditissimus Berardi in opere inscripto *Canones Gratiani* ait: *Concilii Constantinopolitani Decreta in duas classes distribuenda fore arbitrantur; vel enim ad fidem confirmandam pertinent, unamque damnandam haeresim Macedonii, atque aliorum, ac tum asserunt Concilii Constantinopolitani decreta fuisse generaliter in tota Ecclesia probata; vel versantur in disciplina ecclesiastica stabilienda, atque in ea parte Ecclesiae universae auctoritatem minime agnoscunt*, Adjungit de suo laudatus auctor: *non videntur autem temere rem istam explicare*.

Nihilominus cum inter Canones, de quibus in Can. *De libellis* Dist. 20. dicitur, eos non recipientibus nec catholicam fidem, nec sancta quatuor evangelia pro-

desse, numerati etiam Constantinopolitani reperiantur; videbitur alicui dicendum saltem tempore Leonis IV., ex cujus epistola Canon *De libellis* desumptus est, illorum auctoritatem in Ecclesia universa obtinuisse. Verum huic, quae alioquin legitimae videtur, consequutioni, obstat, quod neque in vulgatis praedictae epistolae exemplaribus, neque in ipso Canone, prout ab aliis Collectoribus refertur, nomen Concilii Constantinopolitani invenitur; unde ex hujusmodi silentio inferendum potius videtur, ne Leonis IV. quidem tempore hujus Concilii Canones fuisse generaliter receptos. Firmius fortasse argumentum pro auctoritate Canonum Concilii Constantinopolitani duci posse aliquis existimaret ex capite: *Post translationem* II. *De renuntiatione*, in quo Innocentius III. religioni habet postulationem quamdam admittere, quae uni ex Canonibus Concilii Constantinopolitani opponi videbatur; unde *contra dictum Concilium*, inquit, (*cum sit unum ex quatuor principalibus, quae sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur*) *nullatenus*

videbatur eorum postulatio admittenda. Et infra: *Cum durum nimis extiterit contra tam solemne Concilium hujusmodi postulationem admittere*. Quae verba quidem ejus sunt, qui summam, nullisque restrictam locorum limitibus, auctoritatem Canonum Concilii Constantinopolitani agnoscat. Observatione dignum est Canonem, de quo ibi est sermo, non esse Concilii Constantinopolitani primi, sed Concilii cujusdam, vel potius Conciliabuli a Photio Constantinopoli celebrati, quem Canonem, quicumque ille sit, qui epistolam illam exaravit, unde memoratum caput: *Post translationem* desumptum est, errore facti attribuit supradicto Concilio. Quaecumque autem fuerit hujus erroris occasio, quod nihil scire interest, non videtur ex hujusmodi dicto hanc, quam supponit potius, quam affirmat Pontifex, auctoritatem Concilii Constantinopolitani, esse originariam ullatenus posse deduci; nam ratio illa, quae huc spectare videtur, memoratum Concilium unum ex illis esse, quae sicut quatuor evangelia Ecclesia Catholica veneratur, ad dogmaticam ejusdem definitio-

nem, non ad disciplinae Canones, ut supra ostendimus, referenda. Quapropter ex hoc dicto aliud inferri non potest, nisi Canones praedicti Concilii tempore Innocentii III., sive initio saeculi 13. generalem auctoritatem nactos fuisse, id quod libenter concesserim.

Quod ad Concilium Ephesinum adtinet, non quidem ut arbitror, ob defectum auctoritatis, aut receptionis suorum Canonum, sed ratione materiae restrictae ad certa loca, & tempora ejusdem celebrationi proximiora, de generali & perpetua ipsorum obligandi potestate dubitari valet. Octo soli sunt Canones, quos habemus hujus Concilii, quorum sex, aut saltem quinque super negotio Nestorii, & Joannis Antiocheni, suorumque asseclarum vertuntur; nec diuturniorem, quae in illis statuuntur, horum vita habitura erant usum. Quae causa latinis Collectoribus, ac Dionysio etiam exiguo, qui tanquam finem suae Collectionis praecipuum sibi proposuit, Graecorum Canones Latinis notos facere, esse potuit, cur illos suis Collectionibus minime inseruerint. Cir-

ca tres vero alios Ephesinos Canones ad disciplinam spectantes, sed aeque, ac quinque alii a Latinis Collectoribus, praetermissos; hujus praetermissionis causa esse potuit, quod illorum notitia, ususque, licet generalis quodammodo, & perpetuus, minus in Occidente videretur necessarius.

Inter istos posteriores Canones unus invenitur, in quo sub comminatione depositionis Episcopis, aut Clericis; excommunicationis vero laicis, interdicitur aliam fidei professionem venientibus ex Paganismo, Judaismo, aut qualibet alia haeresi proponere praeter illam Concilii Nicaeni. Cum Canon iste in Concilio Florentino a Graecis fuisset Latinis objectus, tamquam qui ab ipsis esset violatus propter additionem particulae *filioque* Symbolo Nicaeno, vel potius Constantinopolitano factam; ut hujusmodi violationis notam a se removerent Latini, non eam iniverunt rationem, quae promptior, & expeditior videri poterat, negandi auctoritatem praedicti Canonis, ut qui in eorum Collectionibus non appareret, adeoque nec notus, nec receptus esset; sed quavis de hac re

semota controversia, omnes ingenii vires eo contenderunt, ut probarent per additionem particulæ illius symbolo factam nihil contra interdictum Canonis actum fuisse. Ex hoc autem deduci videtur, cum istius, tum caeterorum ejusdem Concilii Canonum, pro quibus una, eademque suppetit ratio, generalem, quantum materiae conditio patitur, auctoritatem in Concilio Florentino fuisse agnitam.

Addi etiam poterat ad eorundem Canonum firmandam auctoritatem, in alias a me laudato capite, seu Canone: *De libellis*, inter Canones, quorum auctoritas absque propriae salutis discrimine recusari non potest, nominari etiam illos Concilii Ephesini; verum cum hujus Concilii nomen, ut superius de Concilio Constantinopolitano observatum fuit, neque in vulgatis Leonis IV. epistolae exemplaribus, neque in aliis Collectoribus, qui eundem Canonem retulerunt, ullatenus legatur, tota hujus argumenti vis quodammodo enervatur. Forte autem praedictus Leo nullam Concilii Ephesini in sua Epistola fecit mentionem, quia eos tantum Cano-

Digitized by Google

nes nominare sibi proposuerat, qui normam judiciis dare poterant: *per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul, & Clerici judicantur;* & quia in Collectione Dionysii exigui, ad quam Leo respexisse videtur, nullus Concilii Ephesini Canon exhibetur. Monuisse hic juvabit, tametsi in Decreto Gratiani duo legantur hujus Concilii fragmenta, alterum quidem Canone 80. Dist. 2. de Cons., alterum Canone 39. Dist. 5. eadem. haec non pertinere ad illius Canones, sed desumpta fuisse ex Symbolo Ephesino, ut loquitur Gratianus, seu potius, ut contendit Berardi, ex Epistola Synodica S. Cyrilli, & totius Concilii nomine ad Nestorium scripta; neque aliquid commune habere cum disciplina, quippe unice versantur circa expositionem dogmatis, Nestorii erroribus obscurati.

Altioris profecto, & difficilioris videtur indaginis propter gravissimas, quae occurrunt enodandae difficultates, quaestio de auctoritate Canonum Concilii Chalcedonensis: maxime quod concidente horum auctoritate, quorum maximus in antiquis

Collectionibus, ac nominatim in illa Gratiani est usus, concideret pariter pulcherrima disciplinae pars, quae in illis continetur; cujus diversum in Canonibus Constantinopolitanis, & Ephesinis contingere vidimus, quorum aut nulli, aut pauci praedictis collectionibus inserti reperiuntur; nihil aut parum ad generalis disciplinae statum conferre existimantur. Ad evitandum autem quodlibet ambiguitatis, erroris que discrimen secernere imprimis oportet tres Canones monitu, & efflagitatu Imperatoris Martiani ab universo Concilio factos, & approbatos Ses. 6. ab aliis factis, ut contendit Berardi, Ses. 15., astu, & fraude Anatolii Episcopi Constantinopolitani a paucis Episcopis illius fautoribus, absentibus Legatis Apostolicis, inter quos numeratur famosus ille Canon 28., cui tanto animi vigore, atque constantia primum Legati supradicti, & postea S. Leo sese opposuerunt. De his Canonibus agens nuper a me laudatus auctor: *Canones isti*, inquit, *nec in ipso Concilio editi sunt, nec ecclesiastica postmodum auctoritate firmati*. Et paulo infra: *Admodum versimile est*,

Anatolium ipsum fuisse Canonum illorum auctorem, qui per dolum, & fraudem dein Episcopis abituris, & rerum pertractatarum gravitate fessis probandos obtulerit. Quae si vera sunt, quemadmodum arbitror, nulla propemodum esse debebit Canonum istorum auctoritas, qui a doloso Episcopo clanculum, & furtim prodierunt; item clam fuerunt a seditiosis, ut plurimum Episcopis confirmati. Post haec adjungit idem auctor. *Nihilo tamen minus ego non iverim inficias, quosdam ex dictis Canonibus vim maximam obtinuisse apud viros ecclesiasticos, quod quidem non statim ab initio contigit, sed tum demum, cum in aliis Conciliis confirmati fuerunt, aut etiam in publicas Canonum Collectiones relati, aut apparuit in illis aliorum veterum Canonum disciplinam in aliis etiam Conciliis stabilitam contineri*. Horum omnium conclusio, seu complexio est, qualis sequentibus verbis ab eodem auctore exprimitur: *Hodie ubi de Canonibus Chalcedonensibus vulgatis agatur non aliter illi tamquam generales Ecclesiae leges agnoscendi erunt, nisi cum ex aliis subsequentibus Conciliis, vel alio*

quocumque Ecclesiae suffragio probati fuerint, ac confirmati.

Hoc quidem eruditissimi Berardi de Canonibus Chalcedonensibus judicium, uni illi rei maxime nititur, quam sumpserat, omnes triginta Canones, qui praeclaro illius Concilii nomine insigniti sunt, conditos fuisse Ses. 15. post absolutum Concilium, cujus finis Canonicus dicitur contigisse Sess. septima, quae in latinis exemplaribus sessio, seu actio sexta appellatur. Verum id dubito, an satis probetur circa primos 27. Canones, qui soli communiter reperiuntur in vulgatis Latinorum editionibus; quandoquidem ut testatur Fleury lib. 28. ecclesiasticae historiae num. 22. in aliquibus antiquis exemplaribus Concilii Chalcedonensis descripti inveniuntur ad finem sessionis, seu actionis sextae; & a Pontifice Pelagio scriptum fuit, ipsos habendos esse tamquam partem ejusdem sessionis, quod nullus illis peculiaris adscriptus sit dies, & nomina Episcoporum, qui praesentes aderant, non sint illic expressa. Ex quibus omnibus deduci videtur solum Canonem 28. super pro-

vectione Sedis Constantinopolitanae ad secundum inter Patriarchales locum, ut sentit Fleury, citato libro n. 29. factum Ses. 15. a minori Episcoporum parte, qui Anatolii conatibus favebant, atque ejusdem sive suasu, sive etiam dolo. Neque aliud inferri potest ex Legatorum sequentis diei renisu, neque ex litteris super hac re scriptis ab eodem Concilio, ab Imperatore Martiano, atque ab Imperatrice Pulcheria, necnon ab eodem Anatolio ad S. Leonem, & responso a Pontifice praedictis omnibus dato; quippe nulla alia de re in memoratis monumentis agitur, nisi de subjecto Canonis 28. His omnibus adjungi debet Sacrosantum Concilium Tridentinum Ses. 23. cap. 16. citare velut Concilii Chalcedonensis Canonem illum, qui in vulgatis editionibus sextum habet locum inter illos, qui huic Concilio attribuuntur, quem etiam tamquam exemplum, quod in decernendo sequatur, sibi proponit: *Sancta Synodus vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis insistens*. Cumque hic Canon sit unus ex illis viginti septem, qui in eadem Sessione conditi putantur, ex eo quod a Patribus Tri-

denti coactis tamquam authenticus, vereque ad Concilium Chalcedonense referendus citetur, legitima consecutione deducitur, ut tales ab iisdem Patribus praedictos viginti septem Canones agnosci; cum par omnium causa, eadem pro omnibus sit ratio. Nihilominus dum considero D. Leonem in diversis epistolis, in quibus verbis amplissimis approbat, & commendat, quae in Concilio Chalcedonensi circa fidem statuta fuerunt; de illis viginti septem Canonibus, ne semel quidem meminisse, vereor non statim illis Juris generalis auctoritatem obtigisse; eam tamen saltem tempore Leonis IV. obtinuisse videtur, quod in Canone *De libellis*, sive ut a Gratiano, sive ut ab aliis Collectoribus refertur, Concilii Chalcedonensis nomen constanter legitur, cui in hoc concordant exemplaria Epistolae ejusdem Leonis, ex qua hic Canon desumptus est; quod diversimode se habere circa Concilium Constantinopolitanum, & Ephesinum, cum de istis ageretur, monuimus. Observandum nunc diligenter nullum pro auctoritate Canonum Concilii Chalcedonen-

Digitized by Google

sis, sicut nec illorum Concilii Constantinopolitani, & Ephesini, velut temporibus Gregorii communiter agnita, firmum duci posse argumentum ex Canone *Sicut* Dist. 15. desumpto ex epistola ejusdem Gregorii ad Patriarchas Orientales; quod enim ibi nominatis quatuor primis Concilis dicitur: *In his cujuslibet vitae, atque actionis norma consistit*. Quae verba de solis Canonibus intelligi posse videntur, observavit Berardi, & ante illum Correctores Romani corruptum esse illum locum, ac proinde legendum. *Et cujuslibet vitae, atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra aedificium jacet*.

De quinta Synodo, seu Constantinopolitana secunda, tametsi ignoretur, huic Legatos Vigilii summi Pontificis interfuisse, propter plenissimum, quem illius celebrationi consensum idem praestitisse dicitur, sequutamque confirmationem, imo; & validam a diversis Pontificibus susceptam ejusdem defensionem, nec non generalem totius Ecclesiae receptionem, dubitari non potest, quin in numero Con-

ciliorum oecumenicorum reponenda sit. Quatuordecim habemus hujus Concilii Canones omnes ad doctrinam spectantes, quippe nullus in illa disciplinae Canon editus fuit. Quapropter duo, quae in Decreto Gratiani sub nomine hujus Concilii reperiuntur fragmenta, nullatenus pertinent ad ejus Canones; sed desumpta sunt ex iis, quae inter disputandum dicta fuerunt in controversia magna animorum contentione in illo Concilio agitata: an mortui possint anathematizari, quibus subjungitur in uno ex praedictis fragmentis, qui est inter Canones Decreti Gratiani num. 6. c. 24. q. 2., sententia Concilii in hunc modum concepta: *Sancta Synodus dixit: Sufficiunt quidem, quae dicta, & probata sunt ecclesiasticam traditionem demonstrare, quod oportet haereticos, & post mortem anathematizare.*

Dubitari pariter non potest, quin inter generalia Concilia referenda sit sexta Synodus, in qua error Monothelitarum fuit damnatus, nullo, sicut de quinta Synodo diximus, edito disciplinae Canone; unde nec Canon, nec fragmentum aliquod

hujus Synodi legitur in Decreto Gratiani; quandoquidem Canones omnes, qui sub nomine hujus Synodi a Collectore citantur, ad istam nullatenus pertinent, cum omnes desumpti fuerint ex Concilio Trullano, aut, ut alii vocant, Quinisexto, de cujus auctoritate postea dicemus.

Diversi a Gratiano in suo Decreto adducuntur Canones septimae Synodi, seu Concilii Nicaeni secundi, de cujus auctoritate disserens eruditissimus Berardi, postquam dixerat, exceptis Legatis Pontificiis, paucisque aliis Episcopis Sardiniae, & Siciliae nullos alios ex Occidente Episcopos interfuisse, ita de ea pronuntiat: *Non immerito concluderemus, Nicaenam secundam Synodum generalem quidem non fuisse, si Episcoporum convocationem spectemus, quos temporum illorum adjuncta, & praecipue Imperii divisiones ad orientales Provincias accedere non patiebantur*. Accuratius, ut puto, loquutus fuisset laudatus auctor, si voci illi *convocationem*, substituisset hanc aliam *congregationem*; est enim horum vocabulorum diversum significatum, ut recte Canus de Loc. Theo. lib. 5. cap. 3,

ubi convocationem a congregatione distinguens, utramque ad Concilium generale requirit: *Nec satis est*, inquit, *ad generale Concilium evocatio generalis, nisi sit etiam generalis congregatio*. Dixerat autem superius: *Non satis est quidem ad Concilium generale, si evocatio generalis est, quando adeo pauci congregantur, ut major, meliorque provinciarum pars relicta esse videatur, praesertim si causa legitima sit, cur Episcopi Synodo non affuerint*. An autem haec vere dici possint de septima Synodo, quamvis ita sensisse videatur Berardi, admodum dubito, cum ipso testante ad hoc Concilium convenerint Episcopi numero trecenti quinquaginta, praeter Legatos Romanae Sedis, & Sedium majorum Orientalium, qui una cum Tarasio Constantinopolitano interfuerunt. Utcumque res habeat: *Hodie*, ut inquit proxime citatus auctor, *nulla est dubitatio, cum apud omnes Catholicos tamquam oecumenica recolatur*; nam, ut planius, & explicatius inferius disserit: *Quae recte in Synodo definita sunt Maximi Pontificis decreta confirmarunt, rataque habuerunt univer-*

sae Ecclesiae Antistites, ipsi etiam Franci.... catholicum dogma, & Synodum receperunt.

Cum haec de his solum, quae ad fidei doctrinam pertinent intelligenda sint, non ex hoc sequitur, ut saepe observatum fuit, parem esse hujus Concilii quoad disciplinae Canones auctoritatem. Et quidem difficultas aliqua circa hanc oriri poterat ex eo quod in sexto illius Canone honorifica fit mentio Concilii Trullani, cui etiam nomen sextae Synodi tribuitur; nam de Synodis provincialibus agens: *Statuerunt*, inquit, *Sancti sextae Synodi Patres quovis modo, & quacumque ex causa semel in anno fieri, & delicta corrigi*. Sunt etiam nonnulli ejusdem septimae Synodi Canones, qui graecae illius temporis Ecclesiae statui, & disciplinae multis partibus convulsae instaurationi accomodati videntur, quibus idcirco Latinos adstringi minime decuit. Quod ad Concilium Trullanum adtinet, tametsi nullius apud Occidentales habeatur roboris, multis etiam in rebus ab iisdem rejiciatur, non debet honorifica, quae de illo in adducto septi-

mae Synodi Canone fit mentio, tantum huic Canoni, multoque minus aliis Canonibus ejusdem Synodi praejudicium afferre, ut propter eam solam causam saluberrimarum, quae ab illa editae fuerunt, regularum vacillet auctoritas. Quod si aliqui inter hos Canones extiterint, qui minus Ecclesiae Occidentalis statui convenire videantur, ab illorum observatione, ut alibi monuimus, ratione materiae Latini habendi erunt exempti. Atque haec quidem de Canonibus, qui tales revera sint, intelligenda; nam quae Gratianus ex diversis hujus Synodi actionibus desumpta, atque in unum velut conflata Canonem, ejusdem nomine citat, haud majorem habebunt auctoritatem, quam sit illorum, quorum verba referuntur.

Tres solummodo Canones, qui vere sint octavae Synodi, Decreto Gratiani inserti reperiuntur, de quorum, aliorumque ejusdem Synodi auctoritate nulla mihi suppetit dubitandi ratio; quod ab Hadriano II., ad quem Anastasius Bibliothecarius simul cum ejusdem Concilii actis, latinitate donatos direxit, approbationem meruisse vi-

deantur. Diligenter autem cavendum, ne confundatur haec Synodus cum Pseudosynodo celebrata post verum octavum Concilium generale ad restituendum Photium in illa depositum; quandoquidem haec Synodus, cui etiam ille ad majorem huic conciliandam auctoritatem, & prioris memoriam abolendam, octavae nomen dari curavit, non fuit unquam ab Ecclesia recepta, sed multoties ab eadem reprobata. Equidem Joannes VIII. Pontifex Maximus acta hujus Synodi non rescidit in ea parte, in qua restitutio Photii continebatur; ne forte diro, & acerrimo schismati jam concitato novam occasionem dare videretur; at illa in caeteris capitibus cum ipse, tum sequuti Pontifices, & Ecclesia universa reprobaverunt. Nihilominus Gratianus ex hac Synodo, quam forte ipsam putavit octavam generalem, Canonem unum desumpsit, estque quadragesimus quintus Causae VII. Q. I., cui amplissimum etiam illius Concilii praemisit elogium: *In quinta actione Constantinopolitanae Synodi trecentorum octoginta trium Patrum sub Joanne Papa VIII., cui prae-*

fuit Petrus Presbyter Cardinalis, & Paulus Anconitanus, & Eugenius Ostiensis Episcopus. Nihil de caetero praedictus Canon superficie tenus inspectus continet fidei, aut etiam disciplinae puritati contrarium; nam si finis, mensque sui auctoris inspiciatur, facile apparebit, eum alium sibi finem non proposuisse, quam ut illegitimam Ignatii restitutionem, & antiquis regulis, quae in ipso Canone revocari in usum dicuntur, octavae Synodi, a qua restitutus fuit, agendi rationem contrariam calumniaretur. Interim tanta in hoc fides Gratiano adhibita, ut plurimi praedictum Canonem legitimae cujusdam, aut etiam ipsius octavae Synodi putaverint, & ut talem etiam allegare non dubitaverint.

His seorsim dictis de auctoritate Canonum uniuscujusque octo primorum Conciliorum; juvat de auctoritate universorum vetustum proferre monumentum, quod insertum reperitur Decreto. Can. *Sancta*. Distin. 16, continetque professionem fidei faciendam a Summo Pontifice. In illa nominatis distincte, & singillatim octo primis Conciliis, de universis subjungitur:

Usque ad unum apicem immutilata servare, & pari honore, & veneratione digna habere, & quae praedicaverunt, & statuerunt, modis omnibus sequi, & praedicare, quaeque condemnaverunt, ore & corde condemnare profiteor. Equidem si verbum illud *statuerunt* de Canonibus disciplinae esset intelligendum, videretur hoc uno omnes Canones octo priorum Conciliorum approbatos dici posse. Vereor tamen, ne verbum illud in professione fidei, qualem in memorato monumento contineri diximus, ad ea potius, quae in praedictis Conciliis circa fidem, aut circa personas, in causa tamen fidei, statuta fuerunt, referri debeat, quae Divus Gregorius in sua ad Patriarchas Orientales missa fidei professione vocat *constituta* dum ait: *Cunctas vero, quas praefata veneranda Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur amplector, quia dum universali sunt consensu constituta &c.* Praeterea in professione fidei, qualis prostat in diurno libro, qui compositus creditur, aut saltem adauctus ineunte saeculo octavo, non multos post annos a celebratione sextae

Synodi, quae ultima est ex Conciliis illic nominatis, non legitur vocula illa *statuerunt*, sed simpliciter dicitur: *quaeque vero praedicaverunt praedicare, quaeque condemnaverunt ore, & corde condemnare*. Non dissimulabo vocem illam legi in alio exemplo ejusdem fidei professionis, in qua cum nominata inveniatur, sicut in monumento Gratianeo, octava synodus, majorem antiquitatem jactare non potest, quam quae attingat finem noni saeculi, in quo synodus ista fuit celebrata; unde nullum ex hujusmodi monumento aefficax duci potest argumentum ad probandum Canones, qui sub nomine octo primorum Conciliorum citari solent, auctoritatem Juris generalis, nisi jam sero, id est labente nono saeculo, obtinuisse; id quod iis, quae a nobis huc usque dicta sunt, nullatenus repugnat.

Postulat quem nobis proposuimus disserendi ordo, ut postquam de auctoritate Canonum octo priorum Conciliorum generalium, quorum maximus apud Gratianum est usus, disputavimus, de auctoritate agamus Canonum ad duo alia Con-

cilia pertinentium, Sardicense scilicet, & Trullanum, de quibus aliqua est dubitatio, an inter generalia Concilia sint numeranda, an potius ex hoc numero excludenda. Quod ad Sardicense attinet Concilium non dubitatur oecumenicum illud, seu generale ratione convocationis habendum esse; vocati enim ad id fuere cum Orientis, tum Occidentis Episcopi, assignata huic sacerdotali conventui Sardica Illirici urbe facilis, utpote sita in confinio Orientis, & Occidentis, accessus utriusque regionis Episcopis. An autem oecumenicum illud dici etiam debeat ratione congregationis, & generalis receptionis haud ita exploratum est. Convenerant quidem Sardicae Episcopi fere centum septuaginta, ex triginta, eòque amplius provinciis cum Orientis, tum Occidentis, ut nihil majestati Concilii generalis deesse videretur. Verum cum sub ipso initio septuaginta ex illis Episcopis, omnes, aut fere omnes Orientales, secessissent, ut schismaticum apud Philoppolim centum milliaribus ab urbe Sardica distantem, celebrarent Concilium, soli centum

Episcopi, iique ut plurimum Occidentales, Sardicae celebrandi Concilii causa permanserunt. Huic nihilominus defectui ex Episcoporum raritate satis obviam itum dici poterat accessione ducentorum, & quadraginta quatuor Episcoporum sive Orientalium, sive Occidentalium, qui, ut refert Athanasius Apol. 2., finito jam Concilio eidem subscripserunt. Verum cum hujusmodi subscriptiones sententiam potius pro Athanasio in illo Concilio latam, quam Canones in eodem conditos spectare videantur, argumentum, quod ex illis pro generali hujus Concilii auctoritate duci poterat, quoad ejus Canones, non parum debilitatur.

Quod ad generalem autem Canonum hujus Concilii receptionem attinet, non statim ubique fuerunt recepti; quin illi, qui eos receperant, non tamquam Canones Concilii Sardicensis, sed Nicaeni, cujus illud velut appendix habebatur, allegare consueverunt. Certe in Africa ineunte saeculo quinto ignotos fuisse Canones Concilii Sardicensis, sive sub proprio hujus Concilii nomine, sive sub illo Nicae-

ni Concilii, apparet ex controversia circa appellationes, in qua duos Canones Sardicenses a Summo Pontifice tamquam Nicaenos allegatos, neque ut Nicaenos, neque ut Sardicenses Episcopi Carthagine in Concilio congregati agnoverunt. Verum saeculo nono, in cujus fere medium incidit Pontificatus Leonis IV. ita generalis habebatur eorum auctoritas, ut in Epistola ab hoc Pontifice ad Episcopos Britanniae scripta, ex qua toties a me laudatus Canon *De libellis* desumptus est, Sardicenses Canones inter illos nominentur, qui sine salutis discrimine contemni, aut rejici non possint. Et Nicolaus I., qui praedicto Leoni, unico Benedicti III. brevi Pontificatu interjecto, successit, in ep. ad Phot., ex qua Canon finalis Dist. 16. desumptus fuit de Sardicensi Concilio dicit: ab omni Ecclesia recipi. Nihilominus si fides in hoc adhibenda esset Photio, ne tunc quidem temporis Canones hujus Concilii noti, aut recepti in Ecclesia, adeoque in Patriarchatu Constantinopolitano dicendi essent: sic enim Nicolao sibi auctoritatem Concilii Sardicensis objicienti rescripsit.

Sed cum id vix credibile Pontifici ob eam maxime causam visum fuerit, quod memoratum Concilium in partibus Orientalium celebratum illorum notitiam fugere non poterat, de veritate hujus Photii testimonii & nos dubitare possumus. Praesertim quod Graeci ipsi in Concilio Trullano, quod in ipsa Constantinopoli plus integro saeculo ante Pontificatum Nicolai, atque adeo antequam Photius sedem Constantinopolitanam occuparet, celebratum fuit, profitentur, se Canones Sardicenses recipere hac verborum formula, quae legitur Canone 2. *Obsignamus etiam reliquos omnes Canones, qui a sanctis, & beatis nostris Patribus expositi sunt*; *id est a* 318. *divinitus inspiratis patribus, qui Nicaeae convenerunt, iisque, qui Ancyrae .... similiter & iis, qui Sardicae*.

Res confecta videretur siquidem certo constaret nomine Canonum Sardicensium illos intelligi, qui in vero, ac legitimo Sardicae Concilio conditi fuerunt; sed non levis est suspicio, ne Trullani Episcopi ad schisma proclives illos potius hoc nomine intellexerint, qui forte in

Pseudosynodo apud Philippopolim fuerunt editi, quam quidem Synodum Sardicensis nomine etiam appellatam superius diximus. Generaliter itaque in Oriente receptos fuisse Canones Sardicenses arbitror aeculo 10. aut 11., cum Graeci in suos codices Sardicenses Canones communiter retulerunt, quos tamen ut plurimum non juxta ordinem temporis, sed prope finem Codicis descripserunt; forte, ut indicarent, non nisi serius fuisse receptos. Hinc recte, prudenterque eruditissimus Berardi cum praemisisset, non statim apud omnes Sardicense Concilium fuisse receptum, sic concludit: *Hodie tamen ejusdem Concilii statuta tamquam generalis Ecclesiae Canones recipere unusquisque commode poterit, cum universae Ecclesiae tandem aliquando consensus accesserit.*

Illud postremo circa Sardicenses Canones, quod in studio Decreti Gratiani non modici potest esse usus, singulari animadversione dignum, latina illorum exemplaria, graecis praeferenda, cum improbabile non sit primum a Patribus Sardicensibus, qui omnes fere erant Occiden-

tales ; fuisse latine editos ; aut certe si graece fuerunt compositi, mox in latinum versi, & latino idiomate in Occidente, licet forte sub nomine, ut monuimus, Nicaeni Concilii passim lecti, & propositi. Unde verisimile est, deperdito propter Graecorum incuriam, quibus diù Sardicenses Canones ignoti videntur, illorum, si quod unquam fuit, graeco authographo, quae nunc graeca eorundem exemplaria circumferuntur, nihil aliud esse, quam derivationem quamdam, seu versionem ex antiquioribus latinis exemplaribus. Quapropter Dionysius exiguus, ut ipse in sua praefatione testatur, vel quia nulla tunc erant Canonum Sardicensium graeca exemplaria, vel quia graecis latina praeferenda censuit, non illos ex graeco, ut Canones aliorum Conciliorum, quae in Oriente fuerunt celebrata, in latinum vertit; sed ex latinis exemplaribus sua Collectione antiquioribus desumpsit.

Circa Concilium Trullanum, de cujus mihi auctoritate nunc dicendum est; prima ad gravissimos evitandos errores in Decreti usu observatio esse debet, cum

Digitized by Google

nullus in sexta Synodo editus fuerit Canon, non solum Canones a Gratiano laudatos nomine Trullanae Synodi, qui paucissimi sunt; sed alios etiam omnes majori numero laudatos nomine sextae Synodi ad praedictam Trullanam Synodum spectare. In quo secutus est Gratianus modum loquendi graecorum, quem nobis exhibet Canon 6. Dist. 16. desumptus ex actione 4. & 6. Concilii septimi, seu Nicaeni secundi, in quo haec leguntur. *Patriarcha dixit: Quidam scandalizantur per ignorantiam pro Canonibus istis, dicentes: Numquid sexta Synodus Canones fecit?* Et inferius: *Sancta sexta Synodus post promulgatam ab ea definitionem contra Monothelitas, Constantino Imperatore, qui eam congregaverat, non multo post defuncto, & Justiniano ejus filio regnaute pro eo, eadem sancta Synodus divinitus inspirata iterum Constantinopoli quarto, aut quinto anno congregata est, & Canones numero CII. ad correctionem Ecclesiae promulgavit.* Observatum jam fuit a Correctoribus Romanis non quatuor, aut quinque, ut dicitur in Canone, sed viginti septem an-

Digitized by Google

nos a fine sextae Synodi usque ad editionem hujusmodi decretorum fluxisse, ut ex diligentissimis Graecorum chronologis Theophane, & Georgio Cedreno eruitur: ex quo etiam falsitatis arguitur, quod in eodem sexto Canone dicitur, eosdem Episcopos, qui sub Constantino fuerant, sub Justiniano hujusmodi decretis, seu Canonibus subscripsisse.

Utcumque res habeat probatum illud communi suffragio apud Occidentales, Concilium Trullanum haudquaquam generalibus Conciliis accensendum non solum ex eo quod minus recta ecclesiasticae disciplinae capita in eo continentur; sed etiam, quia, ut Graecis exprobrabat Umbertus Legatus Leonis IX., quae nobis sub auctoritate sextae Synodi opponunt: *Prima, & Apostolica Sedes nec aliquando accepit, nec observat hactenus*. Quin ut Anastasius in praefatione ad septimam Synodum, agens de regulis, quas Graeci in sexta Synodo perhibent editas, scriptum reliquit: *Sed nec in caeterarum Patriarchalium sedium, licet graeca utantur lingua, reperiuntur archiviis: nimirum quia*

nulla earum, cum ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem praesens inventa est. Quamquam eosdem Patres illas Graeci promulgasse perhibeant, qui in sexta Sinodo sunt inventi: sed nullis certe probare possunt indiciis. Hinc optime eruditissimus Berardi de hoc Concilio agens: *Nulla*, inquit, *vis, & auctoritas est Canonum Trullanorum, licet illi apud Gratianum honorabili sextae Synodi nomine laudentur. Non tamen inficias iverim, inter tot sententias aliquas haberi, quae veteribus Conciliorum Canonibus omnino conveniunt, quaeque propterea non ex eo improbandae erunt quod a Trullanis Episcopis fuerint renovatae*. Atque haec sufficiunt ad efformandam sibi ideam auctoritatis Canonum, qui sub nomine diversorum Conciliorum generalium, aut eorum, de quibus quaestio esse potest, an sint generalibus accensendi, citati a Gratiano inveniuntur.

Digitized by Google

CAPUT V.

De auctoritate Canonum desumptorum ex Conciliis particularibus.

Nomine Conciliorum particularium, seu localium illa intelligo, quae propria sunt alicujus provinciae, nationis, aut etiam diversarum nationum consistentium in aliquo vasto terrarum tractu, seu territorio, sub uno Metropolita, Primate, seu Patriarcha, absque evocatione Episcoporum Ecclesiae universae, & Romani Pontificis moderamine per se, vel per suos Legatos Concilio praesidentis. Non numero inter Concilia particularia vulgo dictas Synodos Dioecesanas; tametsi enim antiquissimus sit, quoad rem attinet, illarum usus, non videtur conditos in illis antiquitus novos Canones; sed solum promulgari solitos Canones aliorum Conciliorum, maximeque illos ultimi Concilii provincialis, ut statuitur Canone 6. XVI. Concilii Toletani septimo saeculo celebrati, & habetur Dist. 18. Canone finali: *Dum in qualibet provincia*

Concilium agitur, unusquisque Episcoporum admonitionibus suis intra sex mensium spatia omnes Abbates, Praesbyteros, Diaconos, atque Clericos congregare nequaquam moretur, quatenus coram eis plenissime omnia referat, quae eodem anno in Concilio acta, vel definita esse noscuntur. Hinc nullus Canon desumptus ex hujusmodi Synodis Collectioni Gratiani, quod & de aliis antiquioribus Collectionibus dicendum puto, insertus invenitur; plures autem desumpti ex aliis Conciliis tam nationalibus, quam provincialibus.

Horum Conciliorum auctoritas, si secundum se tantummodo spectentur, ac sine respectu ad alia principia, causasque, quae ad illius extensionem conferre possent, tantum unice patet, quantum loci tractus Episcoporum ad illa convenientium, aut etiam eorum praesidis, jurisdictioni subjectus. Maxima hac ratione existimari debet auctoritas Concilii Arelatensis primi, cui Episcopi ex omnibus fere Occidentis provinciis cum Legatis Apostolicis, ipsoque Imperatore Constantino interfuerunt; quapropter non oecumenicum

quidem, sed plenarium, quod unico videtur gradu ab oecumenico differre, vocari consuevit; forte quia ad illud vocati non fuerunt Episcopi Orientales, & quia Legati Pontificis illius personam, non tam ut Ecclesiae Primatis, quam ut Patriarchae Occidentis sustinebant: unde iisdem ejus auctoritas, quibus Occidens limitibus comprehensa videtur. Quod de Concilio Arelatensi respectu Occidentis dictum est, idem fere de nonnullis Carthaginensibus, seu Africanis respectu Africae, & Toletanis respectu Hispaniae dicendum. Quo loci animadvertendum est, non omnia Concilia, quae ejusdem urbis, aut regionis nomine designantur, aequaliter se extendentis esse auctotitatis; qua ratione ex tribus Conciliis Arelatensibus, quorum meminit Gratianus, amplissima, ut dictum est, prioris in Occidente prae illa duorum posteriorum est auctoritas. Sic etiam inter Carthaginensia, seu Africana alia aliis potiora. Nam ex octo Conciliis Carthaginensibus, quae in sua Collectione appellat Gratianus amplissima videtur septimi Concilii auctoritas, cui praeter Legatos Apo-

stolicos ducenti, eoque amplius Episcopi; deinde quarti, cui duo supra septuaginta interfuerunt. Ex Conciliis autem Toletanis, quae magno numero in sua Collectione nominat Gratianus, amplissima in tota Hispania; imo in parte etiam Galliae, auctoritas Concilii quarti, in quo duo supra sexaginta, non solum ex diversis Hispaniae, sed ex Galliae, praesertim Narbonensis, provinciis Episcopi, atque inter istos Sanctus Isidorus Hispalensis, omnium disciplinarum genere ornatissimus, interfuere; cujus etiam constitutiones Regis auctoritate, qui ad illud celebrandum Episcopos excitaverat, confirmata, omnibus ad observandum fuerunt propositae. Tum tertii, cui interfuerunt Episcopi ex universis Hispaniarum provinciis septuaginta octo, atque inter istos quinque Metropolitae; nec non sexti omnium Episcoporum Hispaniae, christianissimi, & gloriosissimi Principis studio, ut ipsi profitentur, advocatorum; quibus nonnulli ex Episcopis Galliae accesserant, praesentibus quatuor Metropolitanis; & decimisexti, cui interfuerunt Episcopi octo, & quinquaginta, inter quos

aderant Metropolitani quinque: quae omnia Nationalia dicenda sunt. Nationale etiam totius Hispaniae, ut conjiciunt viri eruditi, videtur fuisse Concilium Toletanum primum, tametsi novendecim soli in illud convenerint Episcopi, sicut etiam decimumviginti Episcoporum, cum constet tres in eo adfuisse Metropolitas. Provincialia contra habentur Toletanum secundum octo Episcoporum illius Provinciae sub Montano eorum Metropolita; nonum ex quindecim Toletanae Provinciae Episcopis sub Eugenio Metropolita, & undecimum ex novendecim Provinciae Episcopis sub Quirico Metropolita. Nam Concilium Toletanum, quod octavum dicitur, licet in illud convenerint Episcopi quinquaginta duo, inter quos quatuor Metropolitae, praeter decem absentium Episcoporum Vicarios; & illud, quod vulgo duodecimum dicunt, cui interfuerunt Episcopi triginta unus, Vicarii Episcoporum tres, Metropolitani autem quatuor; nec non illud, quod decimumtertium vocant, in quod Episcopi octo, & quadraginta, ex quibus quatuor Metropolitani, & septem supra vi-

Digitized by Google

ginti Episcoporum absentium Vicarii convenerunt; eo quod una cum Episcopis Rex ipse, Regnique Proceres coiverint, ac de rebus non minus ad civilem, quam ad ecclesiasticam politiam pertinentibus tractatum fuerit, non tam legitimae Synodi, quam generalium utriusque ordinis ecclesiastici, & civilis comitiorum speciem referre videntur.

Jam quae de auctoritate Conciliorum Toletanorum, & Carthaginensium, singulis juxta eam numerandi rationem, quam communiorem arbitror, designatis, dicta sunt; iisdem secundum aliam, quam nonnulli, praesertim in Carthaginensibus, sequuntur, numerorum rationem, minime convenire poterunt: unde qui de uniuscujusque horum Conciliorum auctoritate recte judicare velit, observare debet, an in illis indicandis idem, qui a me ordo observatus sit, quod in Decreto Gratiani, quantum animadverti, factum est. Universe autem quantum horum, & quorumcumque particularium Conciliorum sese extendat auctoritas, cum ex aliis ecclesiasticis monumentis, quae de illorum evocatione, & congregatione

testantur; tum ex subscriptionibus Episcoporum, Metropolitanorum, & supremi Concilii Praesidis dignosci poterit.

His ita constitutis, quae necessaria videbantur ad judicandum de amplitudine auctoritatis cujuscumque particularis Concilii secundum se spectati; nova invenienda est via ad rectum ferendum judicium de illis Conciliis, quae cum natura sua sint particularia, aut localia, accessione, seu receptione ipsorum facta in aliis provinciis, seu regionibus prope generalem, aut generalem vim juris omnes adstringentis sortita sunt. Quocirca observandum est rem fuisse priscis temporibus, propter illum mutuae charitatis, & promovendae ecclesiasticae disciplinae, qui tunc maxime vigebat, spiritum, valde usitatam, ut quae in Conciliis unius gentis, aut provinciae bene, atque utiliter decreta essent, ab aliarum gentium, & provinciarum Episcopis tamquam propria reciperentur, & ad observandum proponerentur. Quinam igitur Canones externorum Conciliorum in qualibet singulari Dioecesi, ex hujusmodi accessione, seu receptione vim legis ec-

clesiasticae obtinerent, ex inspectione Codicis uniuscujusque Ecclesiae, seu Dioeceseos, in quem Episcopi illos suscipientes referri curabant, facile cognosci poterat. Verum cum difficile admodum, ac laboriosum futurum esset, privatos multarum, aut omnium Ecclesiarum codices inspicere, difficile item semper fuit, ac multo nunc difficilius, deperditis illis codicibus, foret, hujusmodi inspectione de illorum Canonum auctoritate judicare, qui hac via accessionis, aut receptionis eam prope generalem, aut generalem in tota Ecclesia obtinent. Quod si aliquis unquam extitisset, aut nunc existeret priscorum Canonum codex, communi Ecclesiae suffragio probatus, hic nobis compendio, quod quaerimus ostenderet; sed cum nullus olim hujusmodi codex, ut gravibus rationibus eruditi probant, extiterit; nunc certe non existat, siquidem hanc praerogativam Gratiani Codici, cui unice poterat, haudquaquam convenire ostendimus; res tota magnis tenebris involuta manet.

In hac tanta obscuritate aliquam nobis lucem afferre poterit toties a me lau-

datus Canon. *De libellis*, desumptus, ut alias dixi, ex epistola Leonis IV. ad Episcopos Britanniae. Hic ex Conciliis particularibus, tamquam generalem auctoritatem habentes nominantur Canones Concilii Ancyrani, Neocaesarensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicensis, Africanenses item, & Carthaginenses. Mirabitur fortasse aliquis in epistola ad Episcopos Occidentales, quales illi erant Britanniae, nominatim directa nullam mentionem fieri Concilii Arelatensis, cujus tanta ut vidimus in toto Occidente erat auctoritas; nullam Conciliorum Toletanorum, & propter frequentiam Episcoporum, & propter rerum in illis discussarum gravitatem maxime venerabilium; ac loco illorum Ancyranum decem, & octo Episcoporum, Neocaesarense, quod fere ab iisdem Episcopis celebratum dicitur; Gangrense tandem, ac Laodicenum, quae inter provincialia videntur numeranda, nec illa guadent antiquitatis praerogativa, qua Arelatense, nominari. Hujus quidem rei alia mihi ratio non occurrit, nisi quod volens Pontifex indicem illorum Concilio-

rum texere, quorum Canones essent ubique recepti, ea censuit proponenda, quae id aut origine, aut communi accessione, seu receptione obtinerent; quo in numero cum illa quatuor Orientalia essent Concilia, minime autem Toletana, aut Arelatense primum; istis omissis, licet in Occidente celebratis, ac numero Episcoporum; Arelatensi vero etiam Legatorum Pontificis, & Imperatoris praesentia longe commendabilibus, praedicta illa quatuor Concilia tantum nominavit. Equidem tanta ab initio iisdem habita fuit reverentia, ut vel antiquissimi Canonum Collectores ea in suis codicibus recensuerint; quod etiam causae esse potuit, ut primum in Oriente, deinde in Occidente illorum notitia, & auctoritas nullis conclusa finibus propagaretur.

Mirum fortasse alicui magis videbitur inter Canones Conciliorum, quorum auctoritas sine piaculo detrectari non potest, nominari a Leone IV. illos Concilii Antiocheni, in quo ex nonaginta Episcopis, qui ad illud convenerunt, triginta suspecti erant Arianismi; quam ob

causam a Joanne Chrysostomo, Athanasio, & Innocentio I. ejus auctoritas fuit rejecta. Ut ab hac se expedirent difficultate diversas diversi iniverunt rationes, inter quos arbitrati sunt nonnulli, duo distinguenda esse Concilia Antiochena, alterum rejectum a Joanne Chrysostomo, Athanasio, & Innocentio, alterum communiter receptum; quae tamen distinctio potius ad rumpendum, quam ad dissolvendum nodum inventa esse videtur; cum nullum illius solidum existat fundamentum, neque alicubi alterius Concilii praeter illud, quod omnes nomine Concilii Antiocheni designare consueverunt, fiat mentio. Neque meliori aliorum opiniones nituntur fundamento, quibus singillatim expensis concludit eruditissimus Berardi. *Mihi nulla placere potest ex his opinionibus; potius enim dixero ab initio quidem acta hujus Concilli fuisse suspecta, ob haereticos Episcopos, qui Concilio interfuerant: deinde tamen, cum agnitum fuerit, quae in Concilii Canonibus continentur, maxime utilia esse ad disciplinam optimam ecclesiasticam stabiliendam, fuisse Ecclesiarum ferme omnium usu recepta, atque probata.*

Cum in laudato Canone: *De Libellis*, & in Leonis epistola, unde ille fuit desumptus, fiat inter alios mentio Canonum Africanensium, & Carthaginensium, dubitari imprimis posset, an una, & eadem res his duobus vocalibus designetur; ita ut iidem Canones, qui Carthaginenses ab urbe, Africani ab illo orbis tractu, in quo editi fuerunt, appellentur; an potius alii Africanensium, alii Carthaginensium nomine Canones sint intelligendi. Deinde ut iidem, quod ego opinor, his duobus vocabulis Canones intelligendi sint, an omnes comprehensi veniant, qui Carthagine, aut, si superis placet, qui quocumque Africae loco, quovis tempore editi fuerant. Equidem, licet Canones in Conciliis Africanis, seu Carthaginensibus editi maximam sibi apud omnes venerationem conciliaverint, & in aliis provinciis magna sui parte sint recepti; non alios Leo IV. sub nomine Africanorum, aut Carthaginensium comprehendere voluit, ut observaverunt Romani Correctores ad Can. I. Dist. 20., quam illos triginta tres, qui ex variis Conciliis Carthagine habitis

collecti fuerunt, insertique corpori, vel codici Canonum, quo Romani Pontifices, praesertim in judiciis, utebantur, de quo loqui videtur Nicolaus Can. *Si Romanorum* Dist. 12. Cum autem Gratianus, ut iidem Romani Correctores observarunt, non omnes, quos suae Collectioni inseruit Canones, ex illis triginta tribus, sed plerosque ex aliis etiam Carthaginensibus Conciliis acceperit, non singuli Canones, quos sub nomine Africanensium, aut Carthaginensium in sua Collectione adducit Gratianus; sed illi solum, qui ex triginta tribus praedicto codici insertis, fuerunt desumpti, quosque ob hanc causam Romani Correctores, ubicumque occurrunt, indicare curarunt, generali gaudent auctoritate. Reliqui vero, sicut etiam Arelatenses, Toletani, Aurelianenses, & quicumque alii, qui sub diversis particularium Conciliorum nominibus apud Gratianum citati inveniuntur, eo majus obtinebunt auctoritatis pondus, quo major fuerit numerus, & dignitas Episcoporum, qui ad illa convenerunt, & rerum illic decretarum praestantia, & utilitas; omnimodam etiam in illis locis, seu provinciis,

in quibus hujusmodi Canones tamquam proprios illius loci, seu provinciae receptos fuisse constet.

Consonat cum Canone *De Libellis*, & epistola Leonis IV. in numerandis Conciliis particularibus, quorum generalis communi receptione evasit auctoritas, Canon secundus Concilii Trullani, relatus a Gratiano Can. *Quoniam* Dist. 16. in quo observatione dignum videtur, nomine Carthaginensis Synodi non solos illos triginta tres Canones intelligendos, quos solos intellexisse videtur Leo, quique eodem ordine descripti habentur in Graecorum codice, sed alios etiam ex diversis Africanis Synodis, prioribus conjunctos, atque uno velut contextu propositos, quos omnes pari apud Graecos frui auctoritate dicendum videtur. Atque haec quidem, quae de Concilio Trullano a me dicta sunt, non ita accipienda, quasi vellem huic Concilio auctoritatem illam vindicare, quam paulo antea denegavi; sed ita, ut ex iis probatio quaedam facti in promptu habeatur, eosdem illos Canones, qui a Leone IV. nominantur, non solum apud La-

tinos, sed etiam apud Graecos vim juris generalis obtinere.

CAPUT VI.

De auctoritate Canonum desumptorum ex Capitularibus Francorum Regum.

Ecclesiasticis Conciliis quodammodo accensendi videntur conventus illi, quos Francorum Reges octavo, & sequenti saeculo cum Regni proceribus, & sacris Antistitibus in unum convenientibus habuerunt. Ex his autem originem trahunt celebratissima Francorum Capitularia, quod quidem Capitularium nomen ad quaslibet simul collectas, & in capita, ut solent, distinctas, designandas leges, usurpari potest; ex usu autem, & proprietate quadam loquendi pro illa cum civilium, tum ecclesiasticarum legum Collectione sumitur, quae in praedictis conventibus ad communem Regni, & Ecclesiae utilitatem editae fuerunt. Priusquam vero de istarum legum, quarum plurimas Gratianus, exem-

plo antiquiorum Collectorum suo Decreto inseruit, auctoritate meam proferam sententiam; de natura, & ratione hujusmodi spectatissimorum caetuum nonnulla praemittenda sunt.

Rege indicente conventum accurrebant frequentes ad locum designatum Regni Proceres, & Episcopi cum Abbatibus, uno verbo ii omnes, qui vel consilio Principem juvare, vel nomine Populorum, Ecclesiarum, aut Monasteriorum rebus illic constitutis consentire possent. His omnibus in unum coactis ea proponebantur, quae ad rectum Imperii regimen, ad Ecclesiarum incolumitatem, animarum salutem, Monasteriorum institutionem, atque, ut uno dicam verbo, ad universam Rempublicam optime administrandam pertinere viderentur; & quae communi consensione, ac suffragio probata fuissent, Capitularium nomine promulgabantur. Contingebat tamen aliquando, ut extra publicum conventum, praemissa diligenti discussione ab Episcopis, & Regni Proceribus, qui erant in comitatu, una cum Rege praedicta Capitula ederentur. Non hic immo-

rabor circa leges, quae ad civilem Reipublicae statum spectant, quarum auctoritas, cum Regem ipsum praecipuum haberent artificem, iisdem, quibus potestas regia limitibus circumscripta erat. De legibus igitur illis tota est quaestio ad ecclesiasticam disciplinam novis institutis ornandam, aut collapsam restituendam spectantibus. Equidem cum hujusmodi leges aut in publico Episcoporum, ac Procerum conventu, aut privatim ab iis, qui erant in Principis comitatu, ederentur; de prioribus dici posse videbatur, earum auctoritatem tantum se extendisse, quantum illa Concilii Nationalis, quale etiam conventum illum propter concursum Episcoporum ex omnibus provinciis Regis ditioni subjectis, dici posse non nemo existimabit.

Verum rem istam diligentius expendenti neque Concilii Nationalis, nec omnino Concilii nomen praedictis conventibus dari posse omnino apparebit. Non enim quilibet, quamquam numerosus, Episcoporum caetus Concilium dici potest; sed ille, in quem sub uno communi Praeside, seu capite, Metropolita, Primate, aut Patriarcha, nam

de particularibus Conciliis hic loquor, ad deliberandum de iis, quae ad fidei integritatem, morum honestatem, & disciplinae vigorem spectant, secundum instituta Canonica conveniunt. Non caetus, in quo una cum Episcopis Princeps, & Proceres jus habeant suffragii; sed ille, in quo soli Episcopi sunt judices, soli decernunt, soli imperant, relicta tantummodo aliis parendi necessitate. Non caetus, in quo negotia pariter civilia, & ecclesiastica cognoscantur, discutiantur, terminentur; sed ille, in quo omnis cognitio, discussio, & judicium circa res tantummodo ecclesiasticas versatur. Hinc conventus illi & ratione personarum, ex quibus componebantur, & rerum, de quibus in ipsis agebatur, potius quam Concilia, Comitia ecclesiastico-civilia dicenda erunt. Ea propter videtur majorem ecclesiasticarum legum, quae in illis condebantur, haud esse dicendam auctoritatem ea, quam singuli Episcopi, qui illis dum proponerentur, assensum praebuerunt, aut eas jam conditas, & promulgatas receperunt, in sua quisque Dioecesi hoc suo assensu, seu re-

ceptione impertiverunt. In quo par mihi legum illarum, quae ab Episcopis in publico Regni conventu, & illarum, quae in comitatu ferebantur, videtur fuisse ratio; nisi quod priores illae, utpote majori apparatu, ac maturiori consilio factae, pronis magis animis reciperentur.

Neque prius aut hae, aut illae vim juris generalis, etiam in terris ditioni Francorum Regum subjectis, aut quovis alio loco obtinuerunt, quam generali ista receptione id illis tribueretur. Id quod facillimum fuit, & propter propensam Regis, & procerum, quibus aut suadentibus, aut probantibus, aut saltem consciis factae fuerant, voluntatem, paratumque eorundem patrocinium; & quia utilia multa, & maximi ad quaevis terminanda negotia, causasque finiendas momenti, & quotidiani usus continebant. Quam ob causam non solum Episcopi eas privatim in usum deducere curarunt; sed frequenter etiam in Conciliis suis vel laudarunt, vel renovarunt. Quin & Summi Pontifices magnam se Capitularium rationem habere frequenter professi perhibentur. Hinc mirum non

est Collectores Canonum, atque inter illos Gratianum, qui neque a legibus Imperatorum Gentilium abstinuit, multa ex Capitularibus desumpta in suum Codicem, transtulisse. Quocirca observandum est, tametsi magnus sit in praedicto Codice numerus fragmentorum, quae ex hujusmodi Capitularibus excerpta sunt, pauca tamen illorum hoc nomine citari, sed aliis auctoribus assignari; qui error a duabus praecedentibus Collectionibus Burchardi, & Ivonis in Collectionem Gratiani descendisse fertur.

Existimavit non nemo Burchardum scribentem apud Germanos, quibus res Francorum erant invisae, summa diligentia ab iis nominandis abstinuisse; ac propterea quoties aliquod Capitularium fragmentum rei, de qua agebat, accomodatum, adeoque suae Collectioni inserendum arbitraretur, aliis auctoribus tribuisse. Verum cum id mihi homine ingenuo, & Episcopo, qualis erat Burchardus, videatur indignum, crediderim potius hujusmodi fragmenta, aut nullo designato auctoris nomine, aut sub nomine loci, in quo

celebratus fuit conventus, ad quem fragmentum hujusmodi pertineret, retentis tantum tribus primis litteris vocis conventus, fuisse descripta: hoc, quod exempli causa dictum sit, vel simili modo in *Con. Parisiensi*. Hinc vero factu facillimum fuit, ut Capitularium fragmenta, quae nullo erant distincta auctoris nomine, auctori Canonis, seu fragmenti praecedentis; quae vero distincta erant nomine loci, in quo celebratus fuit conventus, ad quem fragmentum ipsum pertinebat, alicui ejusdem loci Concilio ab imperitis scribis tribuerentur. Quo admisso ratio satis congrua apparet varietatis illius, quae in designandis auctoribus fragmentorum ad praedicta Capitularia pertinentium, in antiquioribus Collectoribus, maximeque in Gratiano nostro observatur. Quicumque autem sint, & undecumque in hujus auctoris Collectionem profluxerint praedicti generis errores, eos observationibus Romanorum Correctorum, aliisque recentioribus, & copiosioribus cruditissimi Berardi emendare, & singula fragmenta ad illud, ad quod pertinent Capitulare revocare licet. Quan-

ta autem uniuscujusque, ubi de hac sua origine constet, sit auctoritas, ex his, quae a nobis de hac re fuse disputata sunt, facile quilibet poterit dignoscere.

CAPUT VII,

De auctoritate Canonum desumptorum ab epistolis Decretalibus Summorum Pontificum.

Praeter Canones Conciliorum generalium, & particularium, quibus suam Collectionem Gratianus exornavit, inserta eidem plurima reperiuntur fragmenta epistolarum Decretalium, in quarum fronte legitur nomen alicujus ex illis Pontificibus, qui ab ipso nascentis Ecclesiae exordio ad dimidium saeculi duodecimi floruerunt. Omissa interim qualibet critica discussione, unde certo discerni possint epistolae illae, quae vere eos, quibus attribuuntur, Pontifices habent auctores, ab illis, quae tamquam spuriae, & supposititiae ementitis illustrantur nominibus; qua de re alio commodiore loco agere

proposuimus; de illis nunc tantum epistolis Decretalibus loquemur, quae ab illis scriptae fuerunt Pontificibus, quorum nomine insignitae sunt. Priusquam autem rem ipsam, de qua praecipua est quaestio, aggrediar, plane constituendum, quid nomine Decretalis communiter intelligatur; non enim quaelibet Romanorum Pontificum ad quoscumque, & quomodolibet scriptae epistolae Decretales dici possunt. Nam si, quae sunt ab illis datae ad eos epistolae, qui Pontificem magis habita ratione amicitiae, doctrinae, pietatisve, quam dignitatis per litteras consuluerunt; licet in illis Pontifex de aliquo doctrinae, aut disciplinae capite, tamquam privatus suam sententiam dicat, non sunt illae epistolae Decretales aliquo modo appellandae. Convenit igitur hoc nomen illis tantum epistolis, quibus Pontifices tota officii sui auctoritate, aut novas leges edicunt, aut veterum observantiam urgent, aut etiam, cum necesse fuerit, exponunt; sive illae ad universam Ecclesiam, sive ad particulares Ecclesias, aut Episcopos, aliasve privatas personas dirigantur, nulla

Digitized by Google

praecedente consultatione, seu interrogatione; aut etiam hujusmodi consultatione, seu interrogatione epistolae occasionem praebente.

De Decretalibus ad universam Ecclesiam directis, quibus, nulla praecedente consultatione, aut interrogatione, novae promulgantur leges, aut veteres renovantur, confirmantur, seu explicantur; tametsi minus primis Ecclesiae saeculis usitatis, vel tunc tamen notis nomine encicylcarum, tractoriarum, seu tractatoriarum, dubium non est vim habere Juris generalis, sicut eam habent recentiores Constitutiones, seu Bullae, quae nihil aliud mihi videntur, quam epistolae quaedam directae ad Patriarchas, Metropolitas, Episcopos, qui nomine propriae dignitatis in ipsarum fronte appellantur. De Decretalibus ad particulares Ecclesias, Episcopos, aliasve privatas personas, praemissa consultatione, seu interrogatione directis, quales fere sunt omnes illae, quarum fragmenta suae Collectioni Gratianus inseruit, nonnulla potest esse difficultas; quod jus quodcumque in illis contentum non vi-

deatur ultra illas personas, seu Ecclesias extendi, ad quas scriptae fuerint; adeoque privatum potius, quam generale esse dicendum. De istis loquens Gelasius cap. *S. Romana*. Dist. 15. tantummodo venerabiliter suscipiendas dixit: *Decretales epistolae, quas beatissimi Papae diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendae*. Verum cum non omne id, quod veneratione dignum est, vim juris obtineat, incertum est, an eam universe obtineant epistolae illae, de quibus solum dixit Gelasius venerabiliter suscipiendas. Hanc vero dubitationem, saltem quod ad judicia adtinet, sustulisse videtur Leo IV. cap. *De libellis*. Dist. 20., in quo nominatis Syricii, Innocentii, Zosimi, aliorumque Pontificum Decretalibus, seu, ut ipse loquitur, regulis, per illas una cum Canonibus Conciliorum, quae ibidem nominat, dicit Episcopos, & Clericos judicari; D. autem Leo relatus capite: *Si Romanorum* Dist. 19. *Omnia*, inquit, *Decretalia constituta tam B. recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quae de ec-*

clesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Earundem observantiam apud Graecos fortiter urget Nicolaus I. in epistola ad Photium relata quoad sensum Can. *Si Decreta* 2. Dist. 20., in qua haec leguntur verba: *Decretalia: quae a Sanctis Pontificibus primae Sedis Romanae Ecclesiae sunt instituta ... cur vos non habere, vel observare dicitis?... Quod si ea non habetis de neglectu, atque incuria estis arguendi; si habetis, & non observatis, de temeritate estis corripiendi*.

Quamquam nihil amplius ad generatim stabiliendam praedictarum Decretalium auctoritatem tam in Ecclesia graeca, quam latina, desiderari posse videatur; arbitror nihilominus, quod ad res particulares, quae in illis continentur, distinctione quadam utendum. Vel enim quod in hujusmodi Decretalibus statuitur, declaratur, aut cujus observantia urgetur ad generalem Canonum disciplinam pertinet, aut ex illa derivatur; & tunc pro jure generali illud

Digitized by Google

habendum, sicut generale est jus Canonum ipsorum, dubitari nequit: id quod non solum de illis Canonibus intelligendum, de quibus aliunde ad nos pervenit notitia, sed de illis etiam, quos olim extitisse ex sola Pontificis eos sive particulari, sive generali formula appellantis attestatione novimus. Quin huic obstet, quod epistolae illae ad particulares Ecclesias, aut personas scriptae fuerint, cum juris generaliter promulgati ea sit auctoritas, ut quomodocumque de illo idonea, qualis maxime illa est Pontificis, testificatione constet, indeclinabilem sibi parendi necessitatem inferat. Vel contra quod in praedictis Decretalibus statuitur, aut declaratur non tam ex recepta Canonum disciplina, quam prudenti Pontificis motu, & deliberatione ex singularibus causis, locorumque, & personarum adjunctis ita judicantis, aut statuentis procedit; & quae hujusmodi sunt, juris generalis vim haudquaquam habere manifestum videtur, cum neque Pontifex per haec jus aliquod generale, quod antea obtineret, proponat, neque novum edicere intendat. Quapro-

pter nuper a me citatus S. Leo non omnia Decretalia constituta decessorum suorum dixit custodienda; sed illa tantummodo quae *de ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis*. Tametsi autem illa, quae ex particularibus causis, ac pro certis locis, personisque judicantur, aut statuuntur, vim, ut diximus, non habeant universos adstringendi, illam nihilominus habent respectu consulentium, aut interrogantium; quoad hos enim haud defuisse animus Pontificis videtur, quominus ad standum suis vel judicatis, vel praeceptis adstringeret: imo & ipse consulens, aut interrogans, dum ad Pontificem confugit, ultro se illius sententiae subjicere existimari debet. Quem in modum apud veteres Romanos, qui in magistratu constituti Imperatorem de aliqua re dubia, aut obscura consulebant, ita illius sententiae putabantur adstricti, ut ab ea recedere non possent. Caeteris vero, qui nec Pontificem datis litteris consuluerunt, neque ad se missas ab illo receperunt, poterunt hujusmodi particularia judicata, & decreta instar cujusdam

normae esse, quam tuto in judicando, & agendo, similibus recurrentibus rerum, personarumque adjunctis, sequantur.

Illud vero tam in Decretalibus proprio motu, quam ad alterius consultationem editis observandum, totam juris sive generalis, sive particularis vim in praecipua sententia, seu assertione consistere; quae enim tamquam causae, rationesque decreti, aut ad orationis ornatum praesertim in praefationibus interseruntur, obligandi vim non habent: ac de rationibus quidem, & causis decreti disserens M. Canus in suo aureo opere de locis Theologicis lib. 6. cap. 8. in Decretis Pontificiis duo cum primis distinguenda dicit, unum tamquam intentio, conclusioque decreti, alterum quasi ratio, & causa a Pontifice reddita, ex quibus prius illud tenendum; in posterioribus non adeo immorandum. Quam quidem distinctionem tam doctrinae, quam disciplinae decretis communem, applicans laudatus auctor speciei cap. *Licet*. *De testamentis*, in quo, prout ipse ex Jurisperitorum placito innuit, jubetur, ut in legatis piis duo, vel tres solum testes

a Judicibus exigantur: *Haec*, inquit, *decreti hujus conclusio est, hic finis: nec dubium est, quin rem eam Pontifex jure quodam suo potuerit praescribere. Sed si in ejus praescripti confirmationem Deuteronomii lege utitur; si ad Canonum statuta revocat, si ecclesiae morem affert, non est operae pretium rationes illas ad vivum resecare.*

Quamquam haec vera sint, uti communi Sapientum calculo vera habentur, non possum illud dare, quod ab aliis acceptum sustinere videtur eruditissimus Berardi in prooemio operis inscripti: *Gratiani Canones genuini*, ubi inter ea subtiliter distinguens, quae ad interrogationem factam Pontifici pertinent, ab illis, quae ad illam non pertinent, prioribus tantum, non autem posterioribus vim ligandi concedit: *Non*, inquit, *obligant haec... quia in illis interroganti minime respondetur, ad quae non pertinet interrogatio*; seu ut paulo inferius dicit, *non quidem ut interrogantibus responderet, sed ut quid praeter interrogationem adjiceret*; aut ut in simili dicit M. Canus: *De suo non interrogatus*

adjecit. Decepti autem fuerunt, ut mihi quidem videtur, qui ita sentiunt, similitudine sententiae judicis, quae si intra libelli terminos non fuerit conclusa, quatenus extrà illos vagatur, nullius roboris existimatur; non animadvertentes diversam esse rationem sententiae, quam judex inferior profert in suo foro, ac judicii, seu praecepti, quod Summus Pontifex per Decretalem epistolam proponit. Nam cum sententia judicis ad illius officium, ut forenses loquuntur, mercenarium pertineat, ita debet actioni, seu petitioni, quae in libello exprimitur, judex inferior servire, atque eidem sententiam suam accomodare, ut neque sine illa, neque praeter illam vis sui judicati possit consistere. Cum autem Summus Pontifex per Decretalem epistolam, quid sentiat, aut quid fieri velit, declarat, id facit ex officio nobili, vi cujus, sicut poterat nec interpellatus, nec interrogatus de re aliqua circa disciplinam obscura pro potestate sententiam dicere, aut novi etiam aliquid praecipere; ita cum consultus, aut interrogatus id facit, non adeo consultationis, aut interrogatio-

Digitized by Google

nis quibusdam quasi vinculis tenetur astrictus, ut si quid praeter illud, quod ratio consultationis, aut interrogationis exigebat, dixerit, sanciverit, roboris vacuum, & inane habendum sit. Quae de veterum Pontificum Decretalibus epistolis occasione Gratianeae Collectionis, quae illarum fragmentis plurimum abundat, dicta sunt, valent etiam in Decretalibus recentiorum Pontificum, suoque etiam modo in proprie dictis rescriptis, ex quo duplici rerum genere sub unico Decretalium vocabulo comprehensarum Gregorii IX. Collectio, aliaeque posteriores confectae sunt; quapropter haec memoria tenere oportebit, ne cum de istis Collectionibus agetur, iterum repetenda sint.

Ut nihil eorum, quae ad Romanorum Pontificum epistolas pertinent, omittamus, de altero ipsarum genere, quas e numero Decretalium exclusimus; propterea quod in illis non tam ex auctoritate, quae in omnibus Pontificibus aequalis est, quam ex sapientia, quae major in uno, quam in alio esse potest, sensum suum expromunt, intelligendum maxime videtur, quod M.

Canus lib. 6. cap. 8. scriptum reliquit: *Respondent saepe Pontifices ad privatas hujus, aut illius Episcopi quaestiones suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua fideles obligatos esse velint*. Quae quidem observatio, licet ex auctoris mente ad ea potissimum, quae ad doctrinam spectant, referatur, non video cur de his, quae ad illustrationem alicujus obscuri disciplinae capitis pertinent, commode accipi non possit. Si quod igitur hujusmodi epistolarum fragmentum in Gratiani Decreto occurrerit, erit semper propter dignitatem Pontificis scribentis magna cum veneratione suscipiendum; quod si idem & sanctitate, & sapientia adeo excelluerit, ut inter Ecclesiae Patres, Doctoresve accenseri meruerit, tantus ex praedictis causis illius dictis honor debebitur, quantum reliquis Patribus, & Doctoribus, cum de illorum auctoritate agemus, deberi dicetur. Praeter duo praedicta epistolarum genera tertium aliud existit illarum, per quas Summi Pontifices sicut praesentes voce, & opere, ita absentes, peculiari sibi praesertim titulo ad-

dictos, datis litteris, regebant; ordinem in populo, & Clero tuebantur; Episcopos ad proprias sui muneris functiones recte praestandas excitabant; omnes ad virtutem instituebant, errantes corrigebant, pervicaces intentatis minis, poenisque terrebant. Plurima Gratianus hujus generis epistolarum, maxime vero illarum, quae auctorem habent Gregorium Magnum, fragmenta congessit; cujus quidem epistolae vivam, spirantemque optimi, & indefessi Pastoris effigiem, puriorisque, & sanctioris disciplinae formam pulcherrimam nobis exhibent; dignissimae propterea, quae cum aliis ejusdem generis aliorum Pontificum avidissime legantur, & in usum propter maximam praeceptorum, quae in illis plurimum abundant, utilitatem, reducantur.

CAPUT VIII.

De auctoritate Canonum desumptorum ex operibus SS. PP., aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum.

Plurima sunt SS. PP., aliorumque Ecclesiasticorum Scriptorum sententiae, quas undecumque corrosas suo Decreto Gratianus inseruit. De his, quod earum auctores omni prorsus jus dicendi auctoritate destituti fuerunt; aut si eam ex proprio munere habuerunt, cum suum privatum sensum in illis, quos edebant libris proponerent, non exercuerunt; haud inscite quaeritur, cujus ponderis in rebus, ac negotiis ecclesiasticis habendae sint. Quaestionem hanc definivisse videtur Leo IV. cap. *De libellis* dist. 20. In quo quidem, ne quid dissimulem, de solis judiciis, ac de SS. Patribus, seu Doctoribus loquitur; sed non video cur id, quod de judiciis dicit, non possit ad quoscumque alios actus extendi, qui ad normam Juris Canonici exigendi sint. Quae autem de SS. Patribus,

& Doctoribus dicit, ad alios Scriptores Ecclesiasticos sic accomodari debent, ut quo quisque ad eorum meritum sanctitate, doctrina, & antiquitate proximius accesserit, tanto magis auctoritatis, quae in illorum sententiis residet, particeps intelligatur. De illis igitur SS. Patribus, & Doctoribus laudatus Leo supra indicato loco generatim pronuntiat: *Si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos* (id est per Canones) *definiri, tunc si illorum, quorum meminimus dicta Hieronymi, Augustini, Isidori, vel caeterorum similiter Sanctorum Doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda.*

Est autem, quod observasse juverit, desumptus hic Canon ex epistola ejusdem Leonis ad Episcopos Britanniae, qui in eo videntur fuisse errore, ut sententias Patrum sanctorum Conciliorum Canonibus, & Decretalium regulis vel in ipsis judiciis anteponerent; ut videtur deduci ex illis verbis ejusdem epistolae, quae exprobrationem quamdam continere videntur: *De libellis, & commentariis aliorum non con-*

venit aliquem judicare, & sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium regulas. Quos ut in mediam viam revocet Pontifex non quidem omnem sententiis SS. Patrum, aliorumque Doctorum abrogat auctoritatem; sed eam infra illam sacrorum Canonum, & regularum, quae in Decretalibus continentur, jubens consistere; tunc tantum illis in judiciis utendum decernit, cum nihil sive in Canonibus, sive in regulis Decretalium reperiatur, per quod inusitatum negotium definiri possit. Circa sententias Patrum est etiam observandum, nonnullas ita conceptas, ut testificationem quamdam contineant alicujus jam antea editi Canonis, ac suo tempore vigentis, licet nullibi fortasse scriptus reperiatur; atque hae proximam illi, quam ipse Canon, si proferretur, auctoritatem habere censendae sunt. Non multum enim differt, an Canon ea, qua conceptus fuit verborum formula, producatur, an hujus loco testimonium hominis doctissimi, & sanctissimi, de cujus fide, & veritatis studio dubitari non potest. Sunt & aliae eorundem sententiae, quibus

aut ex proprio scribentis ingenio, aut ex usu atque observantia illius temporis, quam commemorant, obscuri Canonis sensus exponitur; maximamque pariter hujusmodi interpretationi inesse auctoritatem, praeter communem illam rationem, quae ex doctrina, & sanctitate interpretis ducitur, ex hoc etiam capite suadetur, quod nulli melius credendi sunt sensum Canonum intellexisse, quam qui propiores ejus origini vixerunt; neque hi alio quopiam usu, quam, qui sub oculis eorum, qui eos condiderunt, introductus est, & adolevit, firmari posse videantur.

Ad nullum horum generum, ut ego quidem arbitror, Leonis dictum, quo tunc solum Patrum, caeterorumque Sanctorum Doctorum sententias ad absolvenda negotia ecclesiastica assumi posse, & debere pronuntiat, cum nulli existunt Canones, per quos illa definiri possint, referendum est. Non enim dici potest, nullum existere Canonem, cum unus, aut plures ex SS. Patribus, & Doctoribus de illo testantur, aut obscurum ejus sensum exponunt; neque tunc dicendum tam ex illo-

rum sententia, qui hoc praebent Canoni testimonium, aut quod erat in illo obscurum, dilucidarunt, quam ex ipso Canone per eos ita proposito, & explicato negotio finem imponi. Est igitur de tertio illo sententiarum genere potissimum intelligendum, in quibus nullo suffulti juris decreto, quod nusquam existere supponitur, quid in aliqua particulari specie, seu negotio tenendum sit, ex ea, qua maxime pollent sapientia, & prudentia, definiunt. Atque haec quidem, quae a me post Leonem IV. de sententiis Patrum, aliorumque Doctorum jus ecclesiasticum quomodocumque spectantibus dicta, & explicata sunt, in illis, quae ad jus naturale, ac divinum pertinent, magis valent. Hinc si hujusmodi jus aliquod existere, aut illud ad haec, vel illa se extendere affirmaverint, praesertim, si in hoc omnes, aut plures illorum fuerint concordes, maxima illis, utpote quos suae voluntatis nuntios, atque interpretes Deus elegerit, fides adhibenda erit. Unde si quae in Gratiano hujus generis sententiae occurrant, occurrunt autem non paucae, quanti illarum aucto-

ritas facienda sit, unusquisque poterit intelligere.

CAPUT IX.

De auctoritate legum civilium quas Decreto suo Gratianus inseruit.

Quicumque aliqua vel mediocri diligentia Gratiani Decretum percurrat, statim observabit, multas inter Canones Conciliorum, & Decretalium, aliorumque ecclesiasticorum operum fragmenta permixtas inveniri civiles leges, quales leguntur in Pandectis, Codice, & Novellis Justiniani. Atque omissis fragmentis desumptis ex Constitutionibus Principum Christianorum, Distin. 50. Can. 46. citantur odiosa nomina Diocletiani, & Maximiani, hac formula obsequii, & honoris plena, *exemplo sacrarum litterarum Diocletiani, & Maximiani*, statimque subiicitur eorundem lex, prout habetur in Codice. *Ad legem Corneliam De Sicariis*, l. 5. Tum causa 1. q. c. n. 127. adducitur fragmentum Ulpiani, ac numero pro-

xime sequenti aliud Macri, quibus alia possem adjungere ejusdem farinae. Non hic multum immorabor in investigando, quantum hujusmodi auctoritates fini, quem sibi proposuit Gratianus, sint accomodatae, cum sufficiat observasse, ad solvendum dubium, quod sibi proposuerat Distin: 1. *De poenitentia*: *Utrum sola cordis contritione, & secreta satisfactione absque oris confessione quisque possit Deo satisfacere*, quindecim, aut sexdecim a numero quarto ad numerum vigesimum, sententias adducere, omnes desumptas ex diversis libris Juris civilis.

Nunc ad precipuum hujus meae inquisitionis scopum circa auctoritatem praedictorum fragmentorum, seu legum deveniens, eas in quatuor classes commode dividi posse arbitror. Prima est illarum, quae desumptae sunt ex Constitutionibus Principum Christianorum, quibus disciplina prius a sacris Canonibus stabilita, addito his legis imperialis robore, magis firmatur; & de his, cum re ipsa non differant ab ipsis Canonibus, quos confirmant, dubium non est, eandem cum il-

lis habere auctoritatem. Secunda classi, est illarum, quae desumptae pariter suns ex Constitutionibus eorundem Christianorum Principum, in quibus aliquid statuitur ad disciplinam ecclesiasticam pertinens, quod nescitur fuisse prius in aliquo Canone constitutum, aut ab aliqua anteriore consuetudine introductum; & quoad haec observari debet, an hujusmodi a Principibus, suasione, & inductu Episcoporum decreta sint; qui ministerio civilis potestatis, tamquam instrumento aptiore, & validiore ad suum obtinendum finem usi sunt; vel saltem postea ab iisdem recepta & approbata fuerint; & tunc talis eorum, quae in praedictis Constitutionibus continentur, erit auctoritas, qualis Episcoporum, quorum suasu, & impulsione illae editae, aut a quibus receptae, & approbatae fuerunt. Quapropter si ab Episcoporum universitate, aut saltem ab illo, qui toti praesidet Ecclesiae, hoc modo fuissent approbatae, aut receptae, summa ac generalis illarum auctoritas habenda esset; quo modo nonnulla impedimenta matrimonialia nedum a Princi-

pibus Christianis, sed etiam a gentilibus primitus introducta, plenissimum robur in tota Ecclesia obtinuerunt. Tertia classis est earum quae desumptae fuerunt ex Constitutionibus, quibus Principes Christiani a Constantino Magno singularia Ecclesiae privilegia, & immunitates concesserunt, quae quidem privilegia cum subsequuta ejusdem Ecclesiae receptione in istius jus, proprietatemque transierint, ita naturam legis, seu constitutionis ecclesiasticae induerunt, ut qui contra illa iverit non solum Principum, quorum auctoritate editae fuerunt, sed Ecclesiae etiam constitutiones violasse dicendus sit. Quarta, atque ultima fragmentorum, seu legum civilium classis est illarum, quae sive Christianos Principes, sive Gentiles, aut cujuscumque religionis Jurisconsultos habeant auctores, circa formam, & progressum judiciorum, circa privatorum jura, contractusque; circa crimina, & poenas, aliaque hujus generis versantur, aut nobis exhibent regulam aliquam, aut principium naturalis aequitatis; & de his, nisi signanter aliquid istorum fuerit ab Eccle-

siastica potestate confirmatum, aut approbatum, licet Decreto Gratiani insertae, vim Canonis nullatenus habere dicendum est. Quidquid de auctoritate Canonum, sententiarumque, quae in Decreto Gratiani reperiuntur, sive ex Conciliis generalibus, sive ex particularibus, aut ex Summorum Pontificum Decretalibus, aut operibus SS. Patrum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum; vel tandem ex corpore Juris civilis desumptae fuerint, hactenus dictum fuit, ad quascumque alias ejusdem generis, quae ad illustrationem, seu solutionem alicujus Canonicae quaestionis adduci possunt, tametsi Decreto Gratiani non sint insertae, extendi debet. Cum nullam ex eo quod in hujusmodi opere illis ab ejus auctore datus fuerit locus, auctoritatem juris, ut alibi dictum fuit, adquisiverint; nisi forte id ratione diuturnae observantiae, cui ipsa illorum in librum adeo communis usus relatio occasionem dare potuit, alicui, aut aliquibus illarum obtigisset.

CAPUT X.

De erroribus Decreti Gratiani.

Non est mihi animus agendi de erroribus, quos forte Gratianus admisit in his, quae de suo protulit ad interpretandum, seu conciliandum Canones vel re, vel specie inter se contrarios, aut etiam peculiarem aliquam suam opinionem ex iis deducendo, aut novis a se inventis rationibus confirmando. Loquor igitur de erroribus ab eodem tamquam Collectore admissis, hoc est in referendis aliorum dictis, sententiisque ab ipso in unum collectis, ac certo ordine digestis. Sunt autem isti nec pauci numero, nec sua levitate contemnendi; possuntque omnes ad unum aliquod ex his tribus generibus revocari. Errores ex falsa inscriptione, errores ex depravatione, seu mutilatione genuinorum textuum, errores denique in adducendis textibus apochryphis tamquam genuinis, & sinceris. Quamplurimi istorum errorum Gratiani Collectioni cum aliis, ex quibus ille materiam suo con-

cinnando operi accepit, sunt communes; neque enim tantum illi fuit otii, tantave librorum commoditas, ut fontes ipsos adire posset. Multos etiam crediderim operi jam perfecto, & e manibus auctoris dilapso ab scribis, seu librariis fuisse additos. Initio igitur ducto ab erroribus, qui ad inscriptionem ipsorum Canonum spectant, de illis sic loquitur Berardi observatione II. suae praefationis ad opus, cui titulus: *Gratiani Canones genuini. Scriptum est Concilium Carthaginense pro Chalcedonensi, Hipponense pro Epaonensi, Illerdense pro Triburiensi. Laudatur Chrysostomus pro Chromatio, Augustinus pro Hyeronimo, Caelestinus pro Callisto, Macharius pro Zaccaria, Anastasius pro Athanasio, Leonardus pro Leandro, Trismegistus pro Thaumaturgo, Vincentius pro Juvenco, Hieronymus pro Hieremia, Anselmus pro Assello, pro Hincmaro Ignatius ut alia omittam sexcenta.* His erroribus, quorum plerisque nominum similitudo occasionem dare potuit, alii non pauci adjungendi sunt, quibus nulla interveniente hujusmodi causa, quae unius, aut nul-

Digitized by Google

lius essent Concilii, alteri; & quae ex privati auctoris Collectione desumpta, Papae, & ejus Concilio tribuuntur.

Praedicti errores, licet prima fronte leves videri possint; non levis momenti post se trahunt incommoda, cum enim Canones, aut sententiae a Gratiano adductae majori, ut toties dictum est, robore non gaudeant illo, quod ipsis convenit ratione fontium, sive auctorum, ex quibus haustae, aut desumptae fuerunt, error circa istorum nomina admissus errare saepe nos facit circa illarum auctoritatem. Quia vero praedictus error alium plerumque secum ducit circa locum, & tempus, in quo singulae sententiae, seu Canones, proditi fuerunt, difficiliorem istorum reddit interpretationem, quae ex loci, temporisque adjunctis plurimum pendet. Quoad errores vero attinet ex aliqua Canonum, sententiarumque depravatione, seu mutatione provenientes, hi duplicis possunt esse generis; primum quidem illas solum spectat sententias, seu Canones, qui ex graeco in latinum fuerunt conversi, quod latina versio diversum, aut etiam contra-

rium illi, quem in sua origine habebant, sensum exprimat. Aliud tam Canonibus, & sententiis graecae originis, quam illis, quae latinam habent originem commune, consistit in aliqua verborum, ac proinde etiam sensus mutatione, facta sive a Collectoribus Gratiano antiquioribus, a quibus eas iste accepit, quales in suis Collectionibus invenit; sive ab ipso Gratiano, sive ab scribis, seu librariis. Accidit enim non raro, ut Collectionum auctores, dum Canonis, vel sententiae sensum magis, quam verba reddere, vel unum, pluresque Canones, seu sententias ejusdem praesertim scriptoris propter eorum prolixitatem compendio referre sibi proposuissent, omnia sus deque miscerent. Accidit fortasse etiam saepius, ut dum ea, quae bene in uno Codice habebant ab ipso Collectore, seu ejus scriba, aut librario in alium transferrentur, nonnihil eorundem imprudentia, seu incuria omissum, additum, aut variatum fuerit. Quanta vero hujusmodi errorum, sit gravitas, & pernicies facile unusquisque intelliget, qui animadvertat ex paucorum, aut etiam u-

nius verbi omissione, aut mutatione ita totius orationis, seu sententiae faciem immutari, ut diversum omnino ab illo, quem auctor intendit, aut contrarium etiam sensum exhibeat.

Superest tandem, ut de erroribus illis numero plurimis, gravitate autem sua caeteris perniciosioribus aliquid dicam, quos admisit, vel potius ex aliorum Collectionibus in suam Gratianus derivavit, cum veris falsa nullo delectu, nulloque judicio permiscens, plurima nobis spuria, & supposititia monumenta pro genuinis, ac sinceris obtrusit. Vix ab illis, in quibus ortum suum habuerunt, tenebris Decretales falso ab obscuro illarum artifice summis Pontificibus trium priorum saeculorum attributae, ab Isidoro Mercatore, aut ut in nonnullis exemplaribus legitur, Peccatore, in lucem eductae, & divulgatae fuerunt, cum sacrorum Canonum Collectores, qui post eum suas Collectiones ediderunt, & inter istos praecipue Gratianus plurima praedictarum epistolarum, aliorumque sublestae fidei monumentorum fragmenta, tot illustrium nominum, anti-

quitatisque, quam praeferebant, specie decepti, illis inseruerunt. Non ego hic immorabor in investigando, quinam fuerit earum architectus, & quem sibi in hac concinnanda fraude scopum proposuerit; quantamque hac sua fallacia disciplinae ecclesiasticae plagam intulerit, de quo varii varie sentiunt, & loquuntur. Illud tantum monebo eas magnam sui partem ex Canonibus posteriorum Conciliorum, & sententiis Patrum, qui longe post illorum Pontificum, quibus tribuuntur, aetatem floruerunt, fuisse contextas. His nonnulla accesserunt, quae usus recentior praeter Canonum, Patrumque fortassis sententiam in disciplinam illius temporis, in quo hujusmodi Decretales epistolae fabricatae fuerunt, invexerat.

Neque tamen his limitibus harum consarcinator sese continuit; verum longius progressus multa ex proprio cerebro addidit, quae nulla nec Canonum, nec Patrum, aut receptae tunc temporis disciplinae auctoritate nitebantur, quin contra ista aperte pugnarent. Cujuscumque autem ista essent generis, & cujusvis pre-

tii, cum velut a Pontificibus illis, qui aetatem Apostolorum proxime attigerunt, prodita exhibeantur; quorum etiam nonnulli haec a majoribus accepisse testantur, ut Apostolica prope instituta, quibus nemo auderet contradicere, quamdiu fraus latuit, habita fuerunt. Quamquam autem nec solus, nec primus, ut supra innuimus, fuerit Gratianus, qui Isidorianis, ut vulgo illas appellant, Decretalibus aliisque ejusdem farinae spuriis monumentis locum in sua Collectione dedit, quippe alii antiquiores Collectores eas aut integras, aut in varia fragmenta dissectas suis Collectionibus inseruerant; nihilominus qui hac in parte a Gratiano fuit admissus error damnosior simili aliorum quorum libet errore evasit, majoremque illis, quae ex hoc oriri possent cavendis incommodis, Canonici Juris cultorum diligentiam requirit. Nam caeterae quidem, quae illam Gratiani praecesserunt Collectiones generali quodammodo oblivione obrutae sunt, cum haec, quod una sit ex partibus constituentibus vulgatum Juris Canonici Corpus, praecipuum per aliquot annos fuerit sub-

jectum meditationis hominum hujus doctrinae cupidorum. Ex quo illud consecutum est, ut quaecumque hujusmodi monumentorum fragmenta in Gratiani Collectione conservata fuerunt, non solum ab hominum memoria, propter quotidianum hujus libri usum, non possent excidere, sed majorem etiam eadem proferendi, & citandi frequentia auctoritatem acquirerent.

Quamvis autem nihil sit in hujusmodi, aliisque suppositiis monumentis, quibus plurimum abundat Decretum Gratiani, quod falsitatis notam possit effugere, quatenus instituta disciplinae in eis prodita non illos habent gravissimos, sanctissimosque, quibus tribuuntur, auctores; est tamen non leve in ipsa falsitate discrimen. Nonnunquam enim ita hujusmodi instituta cuiquam ex remotissima antiquitate tribuuntur Pontifici, ut quae ab illo primum coepissent: aliquando vero ita Pontifex inducitur loquens, ut supponat antiquiorem, aut etiam Apostolicam habere originem. Inter haec quaedam, licet non eam, quae fingitur, Canonicam tamen habent originem, ex qua aut ge-

Digitized by Google

neralem, aut particularem obtinere potuerunt auctoritatem, prout ab aliquo posteriore Pontifice, aut Concilio, consuetudineve, sive generali, sive particulari fuerunt introducta. Alia nec eam, quae fingitur, neque ullam Canonicam habent originem, utpote ex falsarii illius cerebro primum expressa. Illud quidem omnibus in confesso est, quaecumque sit origo praedictorum disciplinae institutorum, neminem, quamdiu Ecclesia propter eam, quam in ipsis agnoscit utilitatem, servanda judicaverit, ab illorum observatione sub praetextu detectae falsitatis adscriptae eisdem originis eximi posse; quod necessitas ea servandi non ex origine, sed ex voluntate eorum, qui cum summa potestate Ecclesiae praesunt, dimanet. Non tamen inutilis propterea dicenda erit hujusmodi detectio, sublata enim illa, quae ipsis propter eam, sub qua delitescebant, tantorum nominum umbram, aliquid novandi religione, imminebat, iisdem sive retentis, sive commutatis liberius, & commodius commissae sibi Ecclesiae utilitatibus consulent.

CAPUT XI.

De Decreti emendatione, istiusque usu.

Innumeri, quos in opere Gratianeo diligens observatio in dies errores detegebat, rem dubiae, & ancipitis deliberationis quodammodo effecerant, an rectius foret consilium denuo illud fundendi, quam adeo difficilem, & laboriosam ejusdem emendationem aggrediendi. Revera multo vel tunc, quod de his nostris temporibus post tot, tantaque diligentia adornatas Conciliorum, Decretalium, ac cujusvis generis veterum operum ecclesiasticorum editiones, potiori ratione dicendum est, facilius videri poterat, novum construere Corpus Juris Ecclesiastici antiquioris, quale Decretum Gratiani habebatur, quam istud ab innumeris, quibus scatebat erroribus, & maculis purgare. Nihilominus novi cudendi Codicis consilium haud multos habuit suffragatores, cum illud antiquum emendandi tanto consensu receptum, & approbatum fuerit, ut vel ipsi Summi Pon-

Digitized by Google

tifices, sicut librorum sacrae liturgiae, & Breviarii, ut vocant, ita hujus fortunatissimi libri emendationi sese patronos ac duces exhibere, sua majestate haud indignum arbitrarentur. Neque hujus posterioris amplectendi consilii probabiles, & graves defuerunt rationes. Assueti a multo tempore homines huic Juris prudentiae formae, quam dare suo operi placuerat Gratiano, aegre potuissent alteri, licet quoad reliqua isti non dissimili, quoad ordinem vero, & dispositionem diversae assuefieri. Non modica etiam ipsius Gratiani habita fuit ratio, cujus omnis in colligendis, interpretandis, & conciliandis Canonibus impensus labor, & cum eo etiam suis comparatum studiis, totque confirmatum saeculis clarissimum nomen interiisset, si ipsius opus denuo fuisset recusum, aut eo submoto aliud substitutum. Nec minor fortasse glossae habita ratio fuit, quae tanto tunc erat in pretio, ut hanc sibi Correctores a Pontificicibus delecti, velut generalem regulam constituerint, nullam faciendi mutationem in textu, *ubi mutatio ipsa impeditura erat*,

quo minus quid auctor glossae voluisset, animadverti posset; sed aut in margine, aut in notatione mendum est indicatum. Nonnihil etiam datum fuit illis scriptoribus, qui super Gratiani opus commentarios, aut cujusvis alterius generis tractatus, in quibus Canones, & sententiae juxta ordinem, quem habent in Decreto citantur, diversis temporibus ediderant, quorum sudatae lucubrationes, excusso e manibus studentium Gratianeo volumine pene inutiles redderentur.

Quamquam vero nonnullae ex adlatis rationibus, atque illa praesertim, quae ex conservatione conciliationum, interpretationumque Gratiani, aut etiam glossae, prout sunt hominum hujus saeculi judicia, haud magni futurae essent ponderis; nihilominus viri nostri temporis eruditi, qui in hac litterarum luce, qua sumus undique circumfusi, sibi jure blandiri poterant de successu novae Collectionis monumentorum copia, delectu, atque ordine longe illa Gratianea superioris, moti illis aliis rationibus, quae nunc etiam vim suam obtinent, aut majorum exemplo du-

cti, vel tandem, ne imperfectum relinquerent opus, cui perficiendo rerum omnium necessariarum videbatur ad votum supellex instructa, e re potius communi fore existimarunt coeptae a tanto tempore Decreti emendationi supremam manum imponere, quam novam aliquam Collectionem procudere. Cum igitur in id, posthabita quaecumque, quae in contrarium adduci posset ratione, conventum esset, ut servato Gratianeo Codice, omnis in eo emendando sollicitudo impenderetur, adhibiti a tribus Pontificibus, sub quibus hoc praeclarum opus coeptum, continuatum, atque ad exitum perductum fuit, viri diversarum nationum, multis jam experimentis probata scientia, & eruditione insignes, qui communicatis invicem consiliis Romae propositae Decreti emendationi adlaborarent; unde vulgo Correctores Romani appellati fuerunt. Hos praeter: *ex aliis urbibus, atque regionibus invitati doctissimi homines, qui si quid invenissent, quod ad hanc rem pertineret, pro sua pietate libenter communicarent, atque ad Pontificem mitterent.* Ut dicitur in

praefatione novae Decreti post ejus emendationem editioni praemissae.

Quem igitur scopum in ea sibi Romani Correctores proposuerint, quamque in eadem methodum observaverint, ex eadem praefatione intelligi potest. Duo igitur sunt praecipua, ad quae omnis illorum industria collineavit; alterum quod inscriptionum, alterum quod testimoniorum errores spectat: breve utrumque dictu, sed tot, tantisque implicatum difficultatibus, ut nec brevi tempore, nec levi, longi licet temporis, labore expediri posset. Fingamus, quod saepius quam credi posset, in Gratiani Decreto eveniebat, ut Canon aliquis, aut sententia, quibus alicujus Concilii, auctorisve nomen esset adscriptum, non ad hunc, sed ad alios quoscumque pertinuisse. Postquam inutiliter in auctore, cujus nomine citabatur, quaesitus fuisset, certoque compertum, in eo non reperiri, quod ubi ageretur de scriptoribus, quorum multa, & varia existunt opera, ut de Augustino, Hieronymo, aliisque ejusdem ordinis, non sine magno studio, & labore obtineri po-

terat, necesse erat divinare, in quo au- ctore, aut in quo ecclesiastico monumento reperiretur, aut horum unumquodque percurrere, donec sorte quadam, casuve inveniretur. Quamvis autem nullus circa nomen auctoris esset error, summa, quae in editionibus Gratiani sua emendatione anterioribus observatur incuria circa librum, & caput, ex quo singula testimonia desumpta fuerunt, non levem illis inveniendis difficultatem obiiciebat. Accidebat etiam non raro idem testimonium ex diversis ejusdem auctoris locis, aut etiam ex diversis auctoribus desumptum esse, ita ut initium ad unum, medium, & finis ad alium, aut alios auctores pertineret, quo nihil erat, quod majorem confusionem, majoremque singulos adeundi fontes difficultatem importaret. Invento tandem proposito testimonio oportebat ad normam optimi cujusquam exemplaris illud exigere, & si quis in eo deprehensus fuisset error, ad unguem emendare. Cum autem tempore, quo hujus emendationis negotio manus adhibitae fuerunt, nondum fuissent typis edita aliqua illorum

operum, quae a Gratiano citantur, aut saltem non ea diligentia, quae omnem mutationis, aut depravationis removeret suspicionem, necesse fuit ab abditioribus Romanarum, aliarumque Bibliothecarum loculis eruere optimos quosque manuscriptos Codices, qui pulveri, & blattis a multo tempore permissi illic latebant; ita ut librorum fere omnium, qui citantur a Gratiano *editiones cum manuscriptis Codicibus Vaticanae, & aliarum Bibliothecarum diligenter collatae sint*. Uti legitur in nota subjecta indici librorum praemisso Gratiani operi.

Quandoquidem vero multi Canones, & sententiae a Gratiano in Decreto adductae desumptae sunt a Conciliis, & operibus graece in sua origine scriptis, & Canones nominatim nunc ex una, nunc ex altera versione citantur, de hac varietate saepe in notationibus lector est admonitus. Et ubi necessarium visum est, graeca Canonis verba cum versione nova sunt allata, idemque in caeteris Patrum graecorum *sententiis actum est*, uti legitur in supra memorata praefatione. Nihilominus

quod vix credi poterat post tantos, totque cunctis praestantis ingenii, & doctrinae dotibus illustrium hominum labores, & vigilias praedicta emendatio, licet pro temporum illorum conditione talis evaserit, qualis desiderari potuisset; non ejus tamen, multa detegente die, quae antea latebant, perfectionis inventa est, ut non plurimum posteris in hoc genere agendum relinqueretur. Imo, ut ait eruditissimus Berardi in praefatione sui in Gratianum operis, loquens de Correctoribus Romanis: *Illud praesertim quodammodo proprium vindicare possunt, quod viam eruditis quamplurimis aperuerint ad eadem studia, ut si fieri posset, Gratiani editio purgatissima redderetur*. Atque ad hunc optatissimum terminum videtur usu luminum illorum, quae, & a Romanis Correctoribus, & ab aliis innumeris, qui huic adeo praeclarae rei sive directe, sive oblique adlaborarunt, quantum homini datur, pervenisse eundem Berardi in suo incomparabili opere in quatuor volumina, seu tomos diviso sub titulo: *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatio-*

rum Codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati.

Ut melius agnosci possit pretium adeo excellentis operis, prae illo Romanorum Correctorum, necesse est indicare quid hujus perfectioni tandem defuerit. Cum ad tria prorsus genera errores omnes Decreti revocari posse superius ostenderimus, errores scilicet inscriptionum, errores depravationis in adductis testimoniis, errores denique ex permixtione falsorum, & supposititiorum cum veris, & sinceris testimoniis. Quod ad primum adtinet genus, potuerunt sane Romani Correctores sua indefessa diligentia singula Decreti testimonia, in quorum inscriptione aliquis irrepsisset error, illi auctori, cui in libris typis editis, aut manuscriptis opus, unde illa desumpta fuerat, tribuebatur, utcumque restituere. Verum cum saepe accideret, prout ex posteriobus criticis observationibus patuit, opus vere non esse illius auctoris, cui in praedictis libris tribuebatur, non pauci hujusmodi errorum etiam post Romanam correctionem in Gratiani Decreto permanserunt. Huic quidquam

non dissimile accidere debuit in emendatione depravatorum testimoniorum; ut enim in exemplaribus, seu typis editis, seu manuscriptis, cum quibus emendandi Canones, aut sententiae collatae fuerunt, aliqui inspersi essent errores, quorum non pauci antiquiorum, & emendatiorum codicum auxilio postea detecti sunt, hos omnes in Decreto etiam post ejus emendationem remanere necesse fuit.

Maximum autem, quod irritis existentibus quibusvis Romanorum Correctorum conatibus, in Decreto Gratiani post peractam ejus emendationem vitium resedit, illud fuit, quod ad spuria, & suppositia Isidorianarum epistolarum, aliorumque apochryphorum monumentorum testimonia spectat, de quibus cum saepe propter eorum multitudinem lectorem moneri oporteret, rarissime id a Correctoribus Romanis; imo quod ad Isidorianas epistolas attinet, ne semel quidem, ut arbitror, praestitum fuit. Non eo usque aetate illa, in qua Gratiani emendationi a summis illis viris Pontificum jussu, opera impensa fuit, ars critica progressa fuerat,

Digitized by Google

ut posset deceptoris vocem in illis ipsis scriptis discernere, in quibus tamdiu sine controversia creditum fuerat, loqui venerandos remotissimae antiquitatis Pontifices; nec tantum adeo robur adquisiverat, ut posset a sua possessione deturbare errorem, qui ab aliquot saeculis pro certa, & constanti veritate habebatur; & quem sibi homines juxta eruditi, ac pii, aegre sibi eripi tulissent, quod in illis epistolis majori, quam in aliis quibuscumque paris, aut minoris etiam antiquitatis monumentis, claritate proponebantur nonnulla disciplinae capita, quae tamquam damnosa recentioris aetatis inventa ab haereticis illius temporis impugnabantur. Verum tempus diuturnum, assiduusque eruditorum hominum labor haec duo velut in aperto constituerunt, primum suppositicias esse omnes Decretales epistolas Pontificum, qui Siricium praecesserunt, ab Isidoro Mercatore promulgatas cum nonnullis aliis monumentis eandem, vel diversam habentibus originem. Aliud, nullum ex hujus suppositionis confessione damnum Religioni timendum esse, quod

Google

praecipua ecclesiasticae doctrinae, & disciplinae capita satis, superque exposita, & firmata inveniantur in aliis authenticis monumentis, quin ad hoc opus sit labili quorumcumque apocryphorum instrumentorum, maximeque Isidorianarum Decretalium fulcimento. Quapropter nemo jam vel mediocriter eruditus reperietur, qui sincere illarum falsitatem non agnoscat, qui non fateatur.

His omnibus, qui post Romanam emendationem superfuerunt in Decreto, defectibus remedium singulari diligentia afferre sibi proposuit eruditissimus Berardi, diversa tamen ratione ab ea, quam tenuerant Romani Correctores: hi enim errores quoscumque, quos in praedicto opere invenissent, in ipso libro, cujus novam curarunt editionem, correxerunt. Noster hic autem prohibitioni obsequens Gregorii XIII., qui in suo Brevi ejusdem Decreti editioni praefixo vetuit, *ne cuiquam liceret eidem operi quidquam addere, vel immutare, aut invertere*, calamum quidem, manusque abstinuit ab ipso Decreto, verum suas observationes contulit in pecu-

liare opus, Gratiani, ut dictum est, emendationi destinatum. Nec tamen credidit in eo Collectoris ordinem sequi debere, juxta quem testimonia ejusdem Concilii, vel auctoris divisa, atque hac illac dispersa, prout subjecti, seu materiae, ad cujus illustrationem adducuntur, ratio exigit, inveniuntur; sed quaecumque ex eodem derivata sunt fonte, seu auctore in unum collegit. Quod si ex diversis ejusdem auctoris operibus desumpta fuerint, primum quae unius, deinde quae alterius sunt operis expendit, nulla, ut dictum est, in hujusmodi disponendis operibus habito respectu ad Collectionem Gratiani, solumque in his, quae ad idem opus spectant, ordinem, qui habetur in Decreto, retinuit; ut quae ad priores distinctiones, causasque spectant, prius, quae ad posteriores, posterius excuteret. In primo igitur tomo, qui primam hujus excellentis operis continet partem, agitur ordine a me indicato de Canonibus tam Conciliorum generalium, quam particularium, nulla habita in istorum dispositione dignitatis, sed solius antiquitatis, aut temporis ra-

tione. In secundo, & tertio tomo, qui secundam ejusdem operis constituunt partem, expenduntur Canones desumpti ex epistolis, & aliis operibus Summorum Pontificum, servato inter ipsos, ut de Conciliis dictum est, ordine antiquitatis. Tandem in quarto, & ultimo tomo, qui tertiam continet partem, excutiuntur Canones desumpti ab operibus SS. Patrum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum, prius illorum, qui priores, posterius illorum, qui posteriores tempore vixerunt. Ad marginem cujuscumque sententiae, aut Canonis, qui discutiendus proponitur, indicatur distinctio, causa, quaestio, & numerus illi respondens in Decreto Gratiani. Praeter haec ad calcem quarti voluminis adjectus fuit copiosus index omnium verborum, a quibus initium ducunt singuli Canones a Gratiano in suo Decreto relati, servato ordine distinctionum, causarum, & quaestionum, quem tenent in opere Gratiani, quibus accessit etiam numerus ostendens, in qua trium partium praedicti operis, quave in pagina de eo, qui quaeritur, Canone agatur. Quandoquidem

vero secunda hujus operis pars, ut dictum fuit, divisa est in duo volumina, indicatur pariter, in quo hujus partis volumine quaeri debeat unumquodque testimonium ad eandem partem spectans. Similiter, quod saepe accidat, duos, aut plures Canones ejusdem distinctionis, causae, & quaestionis eodem verbo incipere, praeter verbum, a quo initium ducunt, adjicitur etiam numerus, quo illorum singuli in Gratiano designantur. Quod ad numerorum vero formam adtinet, numerus designans Canonem, & paginam, in qua factae super eundem ab auctore observationes quaerendae sunt, arabicis; numerus autem partem, aut volumen operis designans, romanis notis exprimitur. His praemissis, quicumque rectum de quocumque Canone, vel sententia Decreto Gratiani inserta, quae sibi ex ordine, aut subsultim illud legendo occurrat, aut citata in aliquo Canonico opere invenietur, quoad fidem inscriptionis, totiusque sententiae judicium ferre cupit, observet imprimis diligenter distinctionem, causam, quaestionem, & numerum, sub quo in

Decreto reperitur, vel qui in praedicto opere appellatur. Hinc quaesito in memorato indice sub eadem distinctione, causa, & quaestione, primo verbo praedicti Canonis, aut testimonii; compertoque ex numero illi adjuncto ipsum esse Canonem, qui desideratur, ope numerorum e regione ejusdem verbi positorum, invenietur pars, volumen, & pagina, ubi de hujusmodi Canone agitur; ibique accurate, diligenterque expositum quidquid ab homine sciendi cupido circa titulum, seu inscriptionem, authenticitatem, & veram lectionem uniuscujusque Canonis, vel sententiae requiri possit, cum pluribus aliis rebus, ubi id opus fuerit, ad illius genuinam intelligentiam, & interpretationem spectantibus. Illud interim lectorem monendum arbitror; quamtumvis plurimum ego Caroli Sebastiani Berardi ingenio, eruditioni, impensoque in emendando Gratiano labori, ac diligentiae tribuam; non illum idcirco ab omni errore, & praejudicio liberum existimare, quorum ego jam aliqua ex illo ipso opere emendationis Gratiani proposui; plura

fortasse ex suis in Jus Canonicum universum Commentariis afferri possent. Si quando nihilominus, ut homo lapsus fuerit, nullum id sincerae illi, quam, ubicumque se hujus rei dederit occasio, profitetur, Ecclesiae definitionibus observantiae, suique operis utilitati detractum arbitror.

Finis Tomi primi.

Digitized by Google



Digitized by Google




INDEX CAPITUM

QUAE PRIMO TOMO CONTINENTUR.



PARS. I.

De genuina Juris Canonici notione, ejusdemque addiscendi externis adjumentis.



ERRATA.		CORRIGE.
	TOMUS I.	
Pag. 31	Decretalium	Decretalium disjunctum
48	exiquo	exiguo
53	explicantur	ex principiis Juris civilis explicantur
70	mutari debet	lumen mutari debet
100	sequentem titulum	sequentes titulos
161	confirmata	confirmatae
199	classi	classis
ib.	suns	sunt.
	TOMUS II.	
Pag. 17	illam	illud
19	diversas	diversa
20	continentur	continetur
37	quod ad	quoad
49	contraherentur.	contraherentur?
63	unicujusque	uniuscujusque
68	nationem	rationem
69	ollatione	collatione
98	Christianos	Christiano
99	relationis	relationis forma
121	mais	magis
144	digestum	digestam
160	poena	paenae
185	Quoad	Quod ad
219	sue	seu
220	aut	haud.

ANIMADVERSIO.

Dictum fuit Tom. I. Part. 2, cap. 4. p. 124. Gratianum solis octo primis Conciliis generalibus in sua Collectione usum fuisse, cum tamen nonnulli in illa legantur Canones ex nono, & decimo Concilio, primo scilicet, ac secundo Lateranensibus. Cujus erroris illa mihi occasio fuit, quod Canones istorum Conciliorum citentur a Gratiano sub nominibus Pontificum Calixti II. & Innocentii II. qui illis praefuerunt, & quod Concilium ab eo citatum sub nomine nonae Synodi, quod vere convenit primo Concilio Lateranensi, neque sit Lateranense, neque generale.

Digitized by Google

7. 8. 177

Digitized by Google



MC



Google